


O BONITAS



EX CHARTIS

CAPITULORUM

GENERALIUM

Ab initio usque ad annum 1951

In Domo Cartusiae,

1953

+
+++
+
+

DECLARATIO

Juxta mandatum Capituli Generalis anni 1951, aliquot exemplaria praesentis Compilationis Ordinationum Capituli mittuntur ad singulas Domus Ordinis.

Propositum hujus operis augendi non est sed tantummodo illustrandi leges Cartusianas, utpote spiritum Instituti nostri patefaciens et ostendens quomodo Capitulum Generale, quando oportuit, hujus nostrae legis memoriam non solum renovavit sed etiam in praxim adduxit, data occasione, per temporis decursum.

Praeterea, vivens quid Religiosus Ordo est, iter faciens per varias temporum, eventuum, locorum vicissitudines. Diffinitorii est legem adhibere secundum concreta rerum adjuncta in quibus sive Religio tota sive talis singularisque Domus versatur in certo tempore.

Ordinationes igitur istae, hic in lucem editae, non sunt accipiendae quoad litteram semper et ubique.

Adhuc vigent Ordinationes confirmatae anno 1930.

Semper etiam vim Admonitionis tenent decreta Capituli quae proprie lata sunt sub nomine Admonitionis.

In Domo Cartusiae,
die 2^a Februarii 1953,

Fr. Ferdinandus,
Prior Cartusiae

INTRODUCTIO

"Haec dicit Dominus: State super vias vestras, et
"videte, et interrogate de semitis antiquis quae sit
"via bona, et ambulate in ea; et invenietis refrige-
"rium animabus vestris."

(Ier. VI, 16)

"Audite me qui sequimini quod justum est, et quae-
"ritis Dominum; attendite ad petram unde excisi estis,
"et ad cavernam laci de qua praecisi estis... Et ponet
"Dominus desertum Sion quasi delicias, et solitudinem
"ejus quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenie-
"tur in ea, gratiarum actio et vox laudis."

(Is. LI, 1-3)

Praesens Compilatio colligit circa duo millia qua-
dringenta decreta Capituli Generalis e codicibus Ordinis
desumpta et ordinatim disposita juxta diversitatem rerum
ad quas singula referuntur.

Capituli Generalis Chartae olim minimas res de vita
Ordinis Donorumque enarrabant. Vivum earum dicendi genus,
nonnunquam cum grano salis paululum mixtum ex hilaritate
quadam, pro antiquo more Ordinis, vim doctrinae prae se
fert. Siquidem, ultra litteram scriptorum sic ad invicem
collatorum, et inter se complementum afferentium, magis
singularis aliquis et proprius spiritus in lucem profer-
tur quam per lectionem unius decreti seorsum spectati.

Huc accedit quod quaestiones in quibus plerumque ver-
satur cura Capituli Generalis in medium paulatim afferun-
tur et sensu exactiori afficiuntur; hoc modo praecipua
observantiae nostrae capita insigniora redduntur, unaque
simul legum nostrarum spiritus aperte conspicitur. Et sic
ista decretorum collectio Statuta nostra illustrat et vim
directivam praebet ad spiritum nostri propositi melius
cognoscendum.

Insuper, multarum rerum sic ad praxim cartusianam
pertinentium notitia magnum emolumentum confert et valde

prodest ad vitam in hac nostra dilecta solitudine bene dirigendam et colendam.

=====

F O N T E S :

Nunc temporis jam non plus quam circa centum integrae Chartae Capituli adhuc supersunt; quin etiam illarum manuscripta exemplaria pleraque reperiuntur in Bibliotheca Publica Parisiensi in Gallia, quorum tantummodo transcriptiones apud nos servantur. Aliunde unaquaeque Provincia ex integra Charta solas res transcribat quae ad ipsam pertinebant. Rursus satis divites sumus particularibus Chartis Provinciarum, et maxime quidem Italiae, minime vero Galliae.

Per quingentos annos Chartae Capituli amplissimae fuerunt, plerumque attingentes usque ad quinquaginta paginas et nonnunquam ad octoginta; multae autem Ordinationes centies iteratae inveniuntur. Porro facultas erat deligendi ex ubertate illa quidquid utile erat constituendique ex eo tractabile volumen. Quod et factum est.

Hoc opus multum debet cuidam Scribae in decimo sexto saeculo vitam degenti, Domino Joanni Chauvet. Is a Reverendo Patre Domino Joanne Pégon nuncupabatur "singularis Scriba meus". Collectionem conflaverat complectentem quatuor volumina quae adhuc supersunt, e Chartarum excerptis confectam. Hoc modo, tanti Scribae gratia, Ordo noster in praesenti cognoscere potest quidquid maximi momenti est de multis Chartis hodie omnino deperditis; cujus tamen opus usu non facile est, utpote carens omni numeratione paginarum ulloque Indice.

Item adhibiti sumus etiam insignia opera Domni Palemonis Bastin qui totam aetatem suam consumpsit in codicibus quaerendis et transcribendis. Plurimos adhuc fontes alios adivimus: excerpta, transcriptiones, scriptores Annalium nostrarum, codices et documenta varia; et, quantum facultas ferebat, manuscriptis principalibus ipsis vel eorum quae dicuntur gallice "photographies" usi sumus.

Post tam multa incendia, exilia, bella, omnia praefata documenta magis magisque deminuta sunt. Magnum ergo damnum fuisset si periculum adesset amittendi tot egregias doctrinas Capituli Generalis per plura saecula alatas. Tam multae Chartae jam avanuerunt! Tempus igitur erat praesens opus conficiendi et in plura exemplaria

edendi. Et sic spes affulget vindicandi ab oblivione et in posterum aliquid servandi ex illis quae supersunt. Unaque simul in promptu habemus in praesenti opere pretiosam fontem documentorum ad meliorem notitiam spiritus nostrae vocationis et aptum etiam instrumentum pro officialibus Ordinis ad munus eorum rite adimplendum.

D I V I S I O O P E R I S :

Opus in duas partes dividitur:

1°: Prima Pars complectitur omnes et singulas Ordinationes adhuc hic et nunc vigentes. Praeterea omnes Admonitiones sive Exhortationes Generales quae in omni tempore et loco sunt perdurabiles. Insuper plures Ordinationes quarum utilitas omnino generalis est, etsi sub aliquo respectu, v.g. per adnexas punitiones, non sint plene accommodatae ad praesens tempus. Item proprie complectitur Admonitiones quae ad proprium ritum nostrum, sive ad caeremonias pertinent.

2°: Secunda Pars complectitur Admonitiones seu Ordinationes quae amplius non vigent quoad litteram, multum tamen conferunt ad perfectam cognitionem spiritus vocationis nostrae. Item Monitiones particulares quae, inter temporis decursum, latae sunt a Capitulo Generali, et quae bene conveniunt, sive ad illustrandum tale vel tale praeceptum Statutorum nostrorum, sive ad cognoscendam seriem rerum gestarum in historia Ordinis nostri.

Insuper, in capite operis, collocata sunt pauca excerpta e Consuetudinibus Domini nostri Guigonis, quae sunt veluti pretiosae margaritae quae exprimunt spiritum Cartusiensis Ordinis.

In unaquaque parte veniunt Admonitiones secundum alphabeticum ordinem rerum; sed, quia pleraeque earum simul concernunt plura objecta, v.g. cibum et vestimentum, Priorem et Procuratorem, etc....., unaquaeque Admonitio collocata est sub titulo principalis objecti ad quod magis pertinet.

Simplicitatis causa, in omnibus locis ubi agitur de tali numero talis Capituli Statutorum nostrorum, relatio data est secundum ultimam editionem Statutorum nostrorum, scilicet anni 1924.

Indices:

Index I: Chronologicus.

Index II: Domorum.

Index III: Index analyticus rerum, satis copiosus et minutus, qui unicus est pro toto opere, possibilitatem praebet inveniendi citius omnia quae pertinent ad quodcumque objectum. - Sufficit ut benevolens lector requirat in indice rem de qua investigat, et ducitur ad omnia loca quae pertinent ad huiusmodi rem, sive sint in Admonitionibus quarum principale objectum est eadem res, sive in aliis quae plura objecta concernunt, et collocatae sunt sub alio titulo in corpore operis.

N O T A:

De distinctione inter "Ordinationes" et "Admonitiones":

Ab initio Generalis Capituli usque ad Novam Collectionem Statutorum, id est per plus quam quatuor saecula, editae sunt tantummodo "Ordinationes".

Anno 1582, Nova Collectio hortatur Capitulum Generale ut ab Ordinationum multiplicatione se abtineat, et ut faciat "Admonitiones" magis quam "Ordinationes". Attamen raro usitatae sunt "Admonitiones": a Nova Collectione usque ad magnam Turbationem rerum in Gallia, id est per duo saecula, praeter Ordinationes inveniuntur tantummodo: sexdecim "Admonitiones", sex "Declarationes", et aliquas "Exhortationes".

Post Turbationem rerum in Gallia, id est ab anno 1837 usque ad annum 1856, sunt tantummodo "Ordinationes". In anno 1856, dicitur: "Admonitio facta in Capitulo Generali anni 1847 convertitur in Ordinationem". Haec Admonitio, quae erat, in anno 1847, sub titulo "Ordinationes", habetur in anno 1856 tanquam "Admonitio". - Igitur, in antiquis temporibus, non accipienda est stricto sensu distinctio inter Ordinationes et Admonitiones.

Ab anno 1859 usque ad hodiernum diem sunt semper "Ordinationes" et "Admonitiones".

In praesenti opere inserta sunt omnia decreta Capituli Generalis quorum cognitio videtur utilis, sive sint "Ordinationes", sive "Admonitiones", "Declarationes", "Exhortationes", seu etiam "Monitiones".

In Domo Cartusiae,
die 2a Februarii 1953.

SUMMARIUM

- S U M M A R I U M -

Ex Consuetudinibus.....	1- 29	
A.-Abstinentia.....	30- 42	
Abstinentia a lacticiniis.....	43- 45	
Abstinentia ab esu carniū.....	46- 49	1000-1014
Aedificia.....	50- 55	1015-1080
Agricultura.....	56	
Albae.....		1081
Alchimia.....		1082-1084
Ambitiosi.....		1085-1087
Annales.....	57- 60	
Anniversarium.....	61- 64	
Antiphonae.....	65- 66	
Antiquitas in Ordine.....	67	
Associationes.....	68	
B.-Balneae.....	69	1088-1089
Beata.....		1090
Beneficia spiritualia.....	70	1091-1099
Bibliotheca.....	71- 73	1100-1106
Brevis.....	74- 75	
Bruno.....	76	1107-1111
C.-Caeremoniae in officiis.....		1112-1114
Cantus.....	77- 83	1115-1132
Capellus.....		1133-1134
Capitulum Fratrum.....	84	
Capitulum Generale.....	85- 91	1135
Capitulum Monachorum.....	92- 98	
Caritas fraterna.....	99-100	1136-1161
Causa conscientiae.....	101	
Cella.....	102-103	1162-1164
Cereus.....	104-105	
Clausura.....	106	1165-1170
Coadjutor.....	107	
Coena.....	108-111	1171-1172
Communio sacramentalis.....		1173-1174
Confessio.....	112-115	1175-1181
Conversi.....	116-122	1182-1207
Coquina.....		1208-1210
Coquinarius.....		1211-1213
Corpus Christi.....	123-124	
Correria.....		1214-1215
Cuculla.....	125	1216

SUMMARIUM

Curia Romana.....	1217	...	1217
Curiositates.....	126	...	1218-1233
Currus automobiles.....	126	...	
D.-Dedicatio..... 127			
Denominaciones.....	128-133	...	
Devotio.....	1234	...	
Dieta.....	134	...	
Diffamatio.....	1235-1252	...	
Diffinitores.....	135-136	...	
Dionysius Cartusianus.....	137-138	...	
Donati.....	139-145	...	1253-1290
Donatissae.....	1291	...	
E.-Effigies..... 146			
Electio Prioris.....	147-148	...	1292-1293
Eleemosynae.....	1294-1296	...	
Emendatio a Superiore.....	1297-1327	...	
Equitare vel asinare.....	1328-1334	...	
Eucharistia.....	1335-1336	...	
Evagationes.....	149-152	...	1337-1368
Exercitia spiritualia.....	153	...	
Exhortationes generales.....	154-192	...	
Exhumatio.....	1369-1374	...	
F.-Festorum multiplicatio..... 193-195 ... 1375-1381			
Fratres.....	196-209	...	1382-1384
Fugitivi.....	1385-1392	...	
Fundatio Domorum.....	1393-1413	...	
Fundatorum immixtio.....	1414-1422	...	
H.-Haereses..... 210 ... 1423-1434			
Hebdomadarius.....	211	...	
Hospites.....	212-219	...	1435-1443
Humilitas.....	1444-1456	...	
I.-Ieiunium..... 220-225			
Jesus.....	226	...	
Incorrigibilis.....	1457-1460	...	
Indulgentiae.....	227-237	...	
Infirmi.....	238-242	...	1461-1475
Inobedientia.....	1476	...	
Installatio Prioris.....	243	...	1477
Ioseph.....	244	...	
Iter agentes.....	245-247	...	1478-1491
Iudaei.....	1492	...	
Iuramentum.....	1493	...	

SUMMARIUM


L.-Labor manualis.....	...	1494-1497
Latino eloquio.....	...	1498-1499
Laudabiliter vixit.....	...	1500
Lectio Sacrae Theologiae.....	...	1501-1502
Lector in Refectorio.....	248	
Librorum emendatio vel impr....	249-253	1503-1507
Librorum prohibitio.....	...	1508-1516
Licentiae.....	254	1517-1527
Lites.....	255-257	1528-1536
Litterae.....	258-276	1537-1591
M.-Magister Novitiorum.....	277-279	1592-1601
Medicina.....	280	1602-1610
Ministerium.....	...	1611-1627
Minutiones.....	281-282	1628-1631
Miraflores.....	...	1632
Misericordiae.....	283	1633-1639
Missa.....	284-302	1640-1644
Monachatus.....	303-305	
Moniales.....	306-317	1645-1707
Mortificatio.....	...	1708
Mulieres.....	318-323	1709-1727
Murmuratio.....	324	1728-1731
Mutatio Domus.....	325-339	1732-1739
N.-Negotis.....	340-343	1740-1763
Novitates.....	344-346	1764-1767
Novitii.....	347-361	1768-1790
O.-Obedientia.....	362-367	1791-1838
Obedientiae.....	...	1839
Observantia.....	368-369	1840-1863
Officiales.....	370-378	1864-1876
Officiorum acceptatio.....	379	1877-1885
Officium Divinum.....	380-381	1886-1894
Officium sepulturae.....	382-385	
Opera communia.....	386	
Oratio.....	387	1895-1899
Orationes.....	388-389	
Ordines sacri.....	390-394	1900-1903
P.-Parentes.....	395-404	1904-1916
Patientia in officio.....	...	1917-1961
Paupertas.....	405-423	1962-1980
Pax.....	424	1981-2034
Pax in Missa.....	425	
Periodica.....	426-429	
Perseverantia in vocatione....	430-432	2035-2046

SUMMARIUM

Pictura.....		2047-2052
Potus.....	433	2053
Praedicatio.....	434-436	
Prior.....	437-451	2054-2219
Priorissa.....		2220-2223
Privilegia.....	452-455	
Processiones.....	456-457	
Procurator.....	458-470	2224-2265
Procurator Generalis.....	471	
Professio.....	472-478	2266-2269
Protector Ordinis.....		2270
Punitiones.....		2271-2286
R.-Rasura.....		2287-2291
Rebellio.....		2292-2297
Recreatio.....	479-486	2298-2305
Rector.....	487-488	2306
Refectorium.....	489-490	
Reformatio Domorum.....		2307-2329
Reverendus Pater.....	491-495	2330-2335
Titulus Cartusiensis.....	496-499	2336-2344
S.-Scriba.....		2345
Scriptura Sacra.....		2346-2349
Scrupulosi.....		2350-2351
Secreta.....	500-508	2352-2362
Senes.....	509	2363-2370
Sermo in Capitulo.....		2371
Silentium.....	510-514	2372-2374
Singularitas.....	515	
Sobrietas.....	516-522	2375-2383
Solitudo.....	523-530	2384-2426
Somnus.....		2427-2429
Somnolentia.....		2430
Spatiamentum.....	531-548	2431-2502
Stabilitas.....	549-571	2503-2571
Statuta.....	572-575	2572-2577
Stipendia Missarum.....	576-587	
Stola.....	588	
Studia.....	589-591	
Suffragia Defunctorum.....	592-597	2578-2583
Superflua.....		2584
T.-Tabacum.....	598	
Temporalis Administratio.....	599-617	2585-2652
Termini Domus.....	618	
Theresia Sancta.....	619	

SUMMARIUM

Transitus.....	620	...	2653-2675
Translatio Domorum.....		...	2676-2686
Tribulationes.....		...	2687-2691
Tricenarium.....	621-626	...	
Turci.....		...	2692
U.-Uniformitas.....		...	2693-2695
Unitas Ordinis.....		...	2696-2698
V.-Vestimenta.....	627-638	...	2699-2711
Vicarius.....	639-647	...	2712-2717
Visitatores.....	648-670	...	2718-2723
Voluntas propria.....		...	2724
Votatio.....	671-679		



		Pag.
Ex Consuetudinibus Domni Guigonis.....		7
Prima Pars: Admonitiones Generales, et Admonitiones quae ad ritum pert..		15
Secunda Pars: Admonitiones particulares, Documenta historica.....		155
Index I: Chronologicus.....		407
Index II: Domorum.....		423
Index III: Analyticus.....		457



SUMMARIUM

SUMMARY

255-257	620
258-260	
261-263	
264	621-626
265	
266-268	
269-271	627-630
272-274	631-641
275-278	642-650
279	651-670

157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

EX CONSUECUDINIBUS DOMNI GUIGONIS.
=====

1.- PROLOGUS:

Amicis et Fratribus in Christo dilectissimis, Bernardo Portarum, Humberto Sancti Sulpitii, Miloni Majoraevi, Prioribus; et universi qui cum eis Deo serviunt Fratribus, Carthusiae Prior vocatus Guigo, et qui secum sunt Fratres, perpetuam in Domino salutem.

Carissimi ac Reverendissimi nobis Patris, Hugonis Gratianopolitani episcopi, cujus voluntati resistere fas non habemus, jussis et monitis obtemperantes, quod vestra non semel dilectio postulavit, consuetudines Domus nostrae scriptas, memoriae mandare curamus. A quo negotio, rationabilibus ut putamus de causis diu dissimulavimus. Videlicet quia vel in epistolis Beati Hieronymi, vel in regula Beati Benedicti, seu in caeteris scripturis authenticis, omnia pene quae hic religiose agere consuevimus, contineri credebamus; et nos qui tale aliquid facere possemus vel deberemus, dignos minime putabamus.

Huc accedebat quia doceri magis quam docere, ad humilitatis nostrae propositum pertinere noveramus, tutiusque esse, aliena potius bona quam sua praedicare, scriptura dicente, "Laudet te alienus et non os tuum, extraneus et non labia tua." Domino quoque in Evangelio praecipiente: "Videte ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis."

Verum quia tantorum precibus et auctoritati sive dilectioni resistere non debemus, quod Dominus dederit, eodem ipso iuvante dicamus: a digniore parte, officio videlicet divino, sumentes exordium, in quo cum caeteris monachis multum, maxime in psalmodia regulari, concordemur invenimur.

Explicit Prologus.

- 2.- XIV.5: (Raro quippe hic Missa canitur) quoniam praecipue studium et propositum nostrum est, silentio et solitudini cellae vacare, juxta illud Jeremiae, "Sedebit solitarius et tacebit," et alibi, "A facie manus tuae solus sedebam quia comminatione replesti me." Nihil enim laboriosius in exercitiis disciplinae regularis arbitramur, quam silentium solitudinis et quietem. Unde et Beatus Augustinus dicit, "amicis hujus mundi nihil esse laboriosius quam non laborare."
- 3.- XV.4: Ipse tamen (Prior) heremi terminos non egreditur. Sedes ejus ubilibet vel vestitus, nulla quasi dignitate vel pretiositate differt a caeteris, nec quidquam gestat, unde quod sit

[4] EX CONSUETUDINIBUS

Prior appareat. Supplicatur ei, et hoc modice, solummodo ad lectionem eunti vel redeunti, vel cum ante eum transitur, et cum ad aliquos venit assurgitur.....Quod idcirco scribimus, ne quis forte posteriorum cornua sibi velit assumere, vel nomen suum quacumque gloria celebrare.

4.- In adventu tamen et quadragesima, propter arctiorem sui custodiam, a praedicta etiam abstinet visitatione (scilicet Domus Inferioris), nisi aliqua magna necessitas coegerit vel utilitas. Sed et caeteris temporibus non passim aut leviter, pro quacumque vel persona vel causa, ad Domum descendit Inferiorem.

5.- XVII.1: ...Si quem Monachum inferius descendere fecerit, de dispositionibus et negotiis totiusque Domus cura nulla se curiositate intromittet.

6.- XIX.2 et 3: ...Accedit etiam ad hoc quod vagandi et quaesitandi horremus omnino tanquam periculosissimam consuetudinem, quam in multis quorum pios labores et sanctam in Christo conversationem satis laudare non sufficimus, occasione misericordiae ut scilicet quod supervenientibus tribuatur, acquirant, multum inolevisse dolemus.

Sed et ipsis hospitibus non parum hoc expedire putamus, qui nostris spiritualibus seu corporalibus ita debent bonis communicare, ut nos ad mala non cogant declinare. Ad mala autem declinare tunc faciunt, si suis nos expensis ad vagandum quaerendumque compellunt.

7.- XX: Pauperibus saeculi panem vel aliud aliquid quod vel factitas offert vel voluntas suggerit damus, raro tecto suscipimus, sed ad villam magis mittimus hospitatum. Non enim propter aliorum temporalem curam corporum, sed pro nostrarum sempiterna salute animarum, in hujus heremi secessus aufugimus. Et ideo mirandum non est, si plus familiaritatis et solatii his qui pro animabus quam qui pro suis huc corporibus veniunt exhibemus. Alioquin non in tam asperis et remotis, et pene inaccessibilibus locis, quo quicumque corporis solatii venerit gratia, plus patiat laboris quam assequatur remedii, sed in strata potius publica olim debueramus utique consedisse.

Habeat itaque Martha laudabile quidem sed tamen non sine sollicitudine et perturbatione ministerium, nec sororem sollicitet Christi vestigiis inhaerentem, et quoniam ipse est Deus vacando videntem, spiritum suum scobentem, suamque orationem in sinum suum convertentem, et quid sibi in se loquatur Dominus audientem, sicque ex quantula per speculum et in aenigmate parte potest, quam est suavis gustantem et videntem, et tam pro ipsa quam pro cunctis taliter laborantibus exorantem.

[7] EX CONSUETUDINIBUS

Quod si sollicitare non desinit, habet illa non solum justissimum iudicem, sed etiam fidelissimum advocatum, ipsum videlicet Dominum, qui propositum ejus non solum defendere, sed etiam commendare dignatur, dicens: "Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea." Dicendo optimam, non tantum commendavit, sed et sororis laboriosis actibus praetulit. Dicendo non auferetur defendit, et ne sollicitudinibus ejus et perturbationibus, quamlibet piis, sese insereret, excusavit.

Ergo ego, relicta cella mea, claustro meo, et quid proposuerim oblitus, propter gyrovagos gyrovagus, propter paltonarios paltonarius, et propter suscipiendos pascendosque saeculares efficiar saecularis? Illi illi ipsi eant potius ut coeperunt, mundumque circumeant, ne si et ego iero, ipsorum de me numerositas augeatur. Aut si urgent penitus ut eam ego, cessent ipsi, faciantque quod ego facio, ut merito religiosorum labore pascantur atque periculo.

- 8.- Hic fortasse dixerit quispiam: Quid ergo de his quae vobis superant facitis? Qui mordentis hoc quaerit animo, audiat sui se potius trabem, quam alieni oculi curare debere festucam. Qui autem amica hoc dicunt voluntate, noverint, abundare sanctos viros vel congregationes, quorum inopiae multo magis quam saecularium compati debeamus, secundum illud Apostoli: "Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei." Sunt etiam hic villae proximae notis nobis plenae pauperibus, quo portari distribuique possit, si quid nobis reliquum fuerit. Hoc enim melius rectiusque putamus, ut si quid plusculum distribuendum est, illud magis quidquid est deportetur, quam inde huc multitudo vocetur. Verum qui Domus hujus expensas noverit, non de superfluis quaeret quid faciamus, sed potius stupebit quare non egeamus.

Haec fratres dilectissimi si prolixius forte quam decuit prosecuti loquaciusque sumus, patimini, et indulgete nobis.

- 9.- XXII: De Novitio: ...Ad quae si imperterritus manserit et immotus, elegeritque juxta beatum Job suspendium, a temporalium videlicet amore anima ejus, et mortem de qua dicitur, si commorimur et convivemus, ossa ejus, promptissime spondens, propter verba labiorum Domini paratum se custodire vias duras, tunc demum suadetur ei, etc.....
- 10.- qui tamen blande leniterque maxime tractatur in primis, nec ei totam subito institutionis asperitatem subire conceditur, sed paulatim, et ut ratio vel necessitas postulare videtur.....et a Priore saepius visitatur.
- 11.- XXVII: De aetate suscipiendorum: Pueros sive adolescentulos non recipimus, quia per eos monasteriis multa contigis-

[12] EX CONSUECUDINIBUS

se dolemus et magna, spiritualia simul et corporalia pericula formidantes, sed viros, qui juxta praeceptum Domini per manum Moysi, viginti ad minus annorum, sacra possint ad bella procedere.

12.- XXVIII: De utensilibus cellae: Accipit itaque incola cellae ad lectum...ad vestitum...Et quidquid prorsus ad lectum vestitumve pertinet, cujus grossitudinis colorisve sit, non curabit.....

13.- Adhuc etiam libros ad legendum de armario accipit duos. Quibus omnem diligentiam curamque praebere jubetur, ne fumo, ne pulvere, vel alia qualibet sorde maculentur. Libros quippe tanquam sempiternum animarum nostrarum cibum cautissime custodiri et studiosissime volumus fieri.....

14.- (Et post enumerationem rerum quas unusquisque accipit in cella, addit): Haec qui legerit, nec irrideat quaesumus nec reprehendat, nisi forte prius in cella inter tantas nives et tam horrida frigora, longiore fuerit tempore commoratus. - Idcirco enim uni tanta concedimus, ne quod illicitum ducimus, exire de cella compellatur. Hoc enim nequaquam conceditur, nisi cum ad claustrum aut ecclesiam convenitur.

15.- XXXI.3: Soli enim degentes, signa coenobiorum aut nulla aut pauca novimus, sufficere putantes linguam solam, non etiam caeteros artus reatibus implicare loquendi. Et ideo si tanta necessitas urget, uno vel duobus aut certe paucissimis verbis quod res postulat malumus indicari.

16.- XXXVIII.2: De cura infirmorum: Isti igitur (aegroti) Christi Passiones, illi (Priores) suadentur attendere miserationes. Hinc isti fortes ad ferendum, illi prompti ad subveniendum. Dumque propter Christum et isti sibi serviri, et illi servire considerant, nec isti superbiunt, nec illi deficient, ab eodem utrique Domino mercedem sui praestolantes officii, isti patiendi, illi miserendi.

17.- XLI.3, 4 & 5: Sed et caeterarum Religionum si quis hic defunctus fuerit, quem sua congregatio hinc asportare aut nequiverit aut neglexerit, hunc sepelient. Nomen vero cujusquam in suo non scribebunt martyrologio, nec cujusquam anniversarium ex more facient. Audivimus enim quod non probamus, plerosque totiens splendide convivari, missasque facere paratos, quotiens aliqui pro suis eis voluerint exhibere defunctis. Quae consuetudo, et ab continentiam tollit, et venales facit orationes, dum quotus pastuum numerus, totus est et missarum. Nec ullum ibi vel jejunandi certum vel observandi constat propositum, ubi non de devotione facientis, sed de pascentis potius pendet arbitrio. Nulla quippe die convi-

[17] EX CONSUECUDINIBUS

vium vel missa deerit, si qui pascat nunquam defuerit. Quod si quis talem consuetudinem contentiose jurat laudabilem, non resistimus, agat ut libet, redditurus illi rationem, qui scrutans corda et probans renes reddet unicuique juxta viam et juxta fructum adinventionum suarum.

18.- Nostrum qualecumque vile propositum, penuriam Deo gratias raro sentit aut abundantiam. Nam si quisquam nobis pisces aut hujuscemodi miserit aliquid, ea mensura et die reficiendis inferitur fratribus, qua propositum poscit et institutio.

19.- XLIII.4: (De Laicis Fratribus): Quo tempore ad lectos redeant: et quia a calendis octobris usque ad Pascha non redditur ad lectos, in spatio quod usque ad Primam remanet pro quantitate noctium longum vel breve, vestes suas suunt, vel sotulares unguunt, vel rapas radunt, vel si quid aliud eis injunctum est, sine strepitu duntaxat operantur. Si nihil tale urget, intendunt orationi quantum possunt.

20.- XLV: Quod cum praelato suo Fratribus loqui liceat: In qualibet autem constituti obedientia, cum praelato sibi possunt de necessariis loqui fratres, petita per signum licentia. Habent enim signa pleraque rusticana, et ab omni faceta vel lascivia aliena, per quae de his quae ad sua pertinent officia, rebus vel instrumentis, possunt ad invicem sine voce commemorari. Aliena autem discere signa, vel sua docere alienos, licitum non est eis.

21.- XLVI.4: De coquinario: in diebus solemnibus, vel ipse, vel qui supplet locum ejus, advenientibus de villa proxima, nihil habet dare vel commodare, sed tantum ut recedant jubetur respondere, ne per tales dies assuescant inquietudinem et molestiam facere.

22.- L: De magistro pastorum: Pastorum magister cunctas illius obedientiae res et instrumenta custodit, et emendo et vendendo ad suum pertinentia ministerium, cum extraneis commercium facit. De rebus aliis fabulandi cum eis licentiam non habet. Cui negotio vel verbis sociorum nisi quem advocaverit nullus se intermiscet. Ipse vero juramenta, mendacia, fraudes, et caetera quae talibus interesse solent negotiis vitare praecipitur mala, sempiternaque animae suae salutem temporalibus anteferre rebus et commodis.... Cum ad hyemandum foras exeunt, nihil vel accipere vel dare praeceptum habent. A puero mercenario qui est cum eis, ad molendinum itur, panis coquitur, vinum emitur, ne ipsi, quod periculosum est, ad villas, quantum vitari potest ire cogantur.

[23] EX CONSUECUDINIBUS

- 23.- LII.3: Generaliter autem communes hujus Decus cibi sale
-- tantum condiuntur;
- 24.- LVII.4: (Post enumerationem rerum quas unusquisque acci-
-- pit in cella): Haec quicumque legerit ridere vel reprehende-
re non festinet, nisi prius vitam hujusmodi in tali solitudi-
ne et inter tanta duxerit frigora.
- 25.- LXIV.1: De custode pontis: Pontis custos cum nullo prorsus
-- nisi specialiter jussus, fabulandi licentiam habeat. Nutibus
tantum, vel si non intelligitur etiam verbis, eos qui non
debent transire repellit. Id ipsum servare jubetur, quicum-
que vices ejus exequitur.
- 26.- LXX: Quomodo se habeant Fratres in solemnitatibus: Omni
-- totius anni die quo Capitulum tenetur, qui sursum non as-
cendunt, nisi prohibuerint obedientiae, cellas tenent, et
spatium quod inter tertiam et sextam est, orationi impendunt.
- 27.- LXXIX: Quare tam parvus sit numerus: Hanc autem numeri pau-
-- citatem eadem consideratione delegimus, qua nec hospitum e-
quitaturas procuramus, nec domum eleemosynariam habemus, vi-
delicet ne ad majores quam locus iste patitur expensas coac-
ti, quaerere et vagari, quod horremus, incipiamus.
Quod si posteri nostri hunc ipsum tam parvum numerum
aliquibus occasionibus quas ignoramus hoc in loco sine quae-
randi et vagandi odibilibus officiis procurare nequiverint,
si nostris voluerint acquiescere consiliis, ad eam redibunt
quantitatem, quam sine praedictis possint portare periculis.
Nos enim qui in praesentiarum hic degimus, quamvis pauci si-
mus, multo pauciores esse mallems, quam ad illa mala serva-
to vel multiplicato numero pervenire.
- 28.- LXXX: De commendatione vitae solitariae: Habetis dilectis-
-- simi sicut petistis consuetudines qualescumque nostras quo-
modo descriptas, in quibus multa vilia sunt et minuta,
quae scribi forsitan non oportuerat, nisi quia vestra dilectio
compellebat, nihil judicare sed cuncta potius parata complec-
ti.
(Hic habet locum commendatio vitae solitariae, quae ad-
huc exstat de verbo ad verbum in Statutis; deinde):
Non autem haec vobis pauca quae diximus sufficiant exem-
pla ad suscepti laudem propositi, sed ipsi potius vobis plura
coacervate, vel de rerum usu praesentium, vel de sanctarum
paginis scripturarum, quamquam ipsum tali commendatione non
egeat, quoniam et sua raritate, et suorum sectatorum pauci-
tate, sufficienter sese commendat. Si enim juxta Domini ver-
ba, arcta est via quae ducit ad vitam, et pauci inveniunt

eam, et e contra ampla est quae ducit ad mortem, et multi vadunt per eam, inter christianae religionis instituta, tanto se unumquodque melioris et sublimioris ostendit meriti, quanto pauciores; et tanto minoris et inferioris, quanto plures admittit.

Bene vos semper valetis et nostri meminisse optamus.

Expliciunt Consuetudines Cartusiae.

29.- 22 Decembris 1133 - Innocentius II - Consuetudinum

Guigonis et Ordinis sollemnis approbatio:

Innocentius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio in Christo Guigoni, Priori Cartusiae, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Bonus et diligens paterfamilias gaudio magno gaudet, cum vineam suam locatam agricolis, vigilantibus studio videt excoli, et tribulis ac sentibus pariter emundari. Cujus profecto gaudio laetitiae jucundior cumulatur, si eadem vinea, propagatione ordinaria, per multorum spatiorum dimensionem incipiat dilatari. Proportionali igitur ratione, Deo credimus gratissimum esse, si angelica Religio vestra, et diversas ecclesias exornet, atque plurimorum mentes disciplinis regularibus instruat, et fide quae per dilectionem operatur, inflammet. Eapropter, dilecte in Domino, memores dilectionis quam erga Sedem Apostolicam cum commissa tibi ecclesia semper habuisti, et honoris ac servitii quod nobis hactenus efficaciter impendisti, ad exemplar praedecessorum nostrorum felicis memoriae Urbani, Pascalii, Calisti et Honorii Romanorum Pontificum, laudantes et approbantes sanctas Consuetudines vestras et Constitutiones, pro his omnibus qui sequi debent eas et observare, ex nunc et usque ad finem mundi, praesentis decreto statuimus ut universa quae impraesentiarum Dominus Cartusiae juste et legitime possidet.....firma sint tibi tuisque successoribus et illibata permaneant.....ut ad laudem Dei, ad quam specialiter institutus est sacer Ordo eremiticus Cartusiensis, et ad honorem Sacrosanctae Romanae Ecclesiae cui omnino devotus est, perpetuis temporibus ibidem floreat, sub sapientibus et in Religione probatis Pastoribus...(Sequuntur more solito anathemata).

Signature du Pape et des Cardinaux.

Daté de Pise.

eam, et e contra amplis eari puse ductit ad mortem, et multu
vadunt per eam, inter christianas religionis instituta, tanto
se unquamque meliora et sublimiora ostendit merit
quanto pauciores; et tanto minoris et inferioris, quanto
plures admittit.
Bene vos semper valete et nostri meminisse optamus.
Explicitunt Consuetudines Cartusae.

29. - 22 Decembris 1135 - Innocentius II - Consuetudinum

Gugonis et Ordinis solennis approbatio

Innocentius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto
filio in Christo Gugoni, Priori Cartusae, ejusque succe-
soribus regulariter substituendis in perpetuum. Bonus et
diligens paternam gaudis magno gaudet, cum vineam suam
laetam agricolis, vigilantibus studio videt excelli, et tripu-
lis ac sentibus pariter emundari. Cujus profecto gaudis lae-
titia iudiciorum cumulat, si eadem vinea, propagatione or-
dinis, per multorum operum dimensionem incipit dilata-
ri. Proportionaliter igitur ratione, hoc ordinis gratias
mum esse, si angelicus Belgio vestra, et diversae ecclesias
exornet, ejusque plurimorum mentes disciplina regularibus
instruat, et libere puse par dilectionem operetur, inflammet.
Eapropter, dilecte in Domino, memores dilectionis quam erga
Sedes Apostolicas cum commissis tibi ecclesiis semper habu-
isti, et honoris ac servitii quod nobis hactenus efficaciter
impendisti, ad exemplar praedecessorum nostrorum felicis
memoriae Urbani, Paschalis, Calisti et Honorii Romanum Pon-
tificum, laudantes et approbantes sanctas Consuetudines
vestras et Constitutiones, pro his omnibus qui sequi debent
eas et observare, ex nunc et nunc ad finem mundi, presen-
ti decreto statimus ut universae puse imperpetuum Do-
mus Cartusae iure et legitime possidet... firma sint
tibi iusque successoribus et illibata permanent... ut
ad laudem Dei, ad quam specialiter institutus est sacer
Ordo eremiticus Cartusianus, et ad honorem Sacrosanctae
Romanae Ecclesiae cui omnino devotus est, perpetua tem-
poribus libere floreat, sui aspectibus et in religione
propria fastidibus... (Sequitur more solito anathemata).

Signature du Pape et des Cardinaux

Lato de lise.

PRIMA PARS

ADMONITIONES

sive EXHORTATIONES GENERALES

et ADMONITIONES

QUAE AD RITUM PERTINENT.

ABSTINENTIA:

1°: Fidelitas.

2°: Normae.

1°: ABSTINENTIA: Fidelitas:

- 30.- 1404: Praesidentes qui indistincte et indiscrete... Feria
 == Sexta laxant sine rationabili et justa causa abstinentiam,
 ipsi apud Deum teneantur emendare id quod temere relaxant.
 Credunt enim cum insobrietate et intemperantia et, per con-
 sequens in offensam Dei et Ordinis habere et retinere perso-
 nas, quod quantum temerarium sit, nemo sanae mentis ignorat.
- 31.- 1413:... Omnes Visitatores Provinciae sint amodo sollici-
 == ti in perquirendo de consuetudinibus quarundam Domorum con-
 tra sanctam Ordinis nostri sobrietatem introductis, videlicet
 quod diebus abstinentiae et aliis temporibus..., fere conti-
 nue datur abundanter pitantia, et ubi aliquid tale invene-
 rint, summopere studeant cum omni diligentia refracnare.
- 32.- 1420: Quia multorum instantia frequens et quaerulosa nos
 == impulsavit super excessivis seu potius abusivis (quod dolen-
 tes referimus) in nonnullarum Domorum pitantiis, et irrefrae-
 natis excessibus aliisque inordinatis ministrandi modis,
 etiam ultra et praeter ordinationem et sufficientem Statu-
 torum nostrorum provisionem, et praecipue sextis seu absti-
 nentiarum feriis, quod urgere videtur in et contra nostrae
 Religionis institutionem salutarem, qua necessaria suffi-

cienter ministrari et superflua omnino resecari jubentur: hinc est quod hujusmodi provide occurrere volentes dispensatis, ordinamus quod in diebus pitantiarum non amplius quam quinque ova, inclusis ovis cum pulmento deputatis, aut aequivalens (si forte) qualecumque genus piscium, ministrantur. Diebus autem abstinentiae deputatis, gratiam humiliter petentibus pulmentum duntaxat simplex cum potu breviori consueto.....

33.- 1428: Exhortamur omnes Priores et Rectores ac Priorissae Domorum Ordinis ut in observantia abstinentiae in feria sexta solliciti sint districtius de caetero se habere, ut non indifferenter relaxentur Statuta sicut hactenus in multis Domibus factum est. Quod si Visitatores Domorum Ordinis repererint in Visitationibus suis Priores Domorum in praemissis fuisse negligentes, reforment excessus supra factos diligenter ac discrete, pensatis qualitatibus regionum et valetudinibus diversarum personarum, nec in coena aliquid detur nisi quod Statuta concedunt.

34.- 1459: Committimus Visitoribus ut circa nonnullos abusos qui in certis regionibus fieri solent diebus abstinentiae deputatis, illos habeant restringere et exemplariter moderari, consideratis regionibus praedictis necnon qualitatibus personarum.

35.- 1509: Gratia generalis de abstinentiis nulli detur. Petentibus et obtinentibus a Praesidente de abstinentia gratiam diebus abstinentiae deputatis, nihil aliud ministretur nisi panis, vinum seu cervisia, et coquina. Et si quid interdum detur cibi lautioris, ex benevolentia et providentia Praesidentis, hoc non debet in consequentiam trahi, sed cum gratiarum actione suscipi.

36.- Illos Donationes, eleemosynas seu legata pro fundatione pitantiarum distribuendarum Conventui diebus praedictis abstinentiae deputatis nullus exigat aut procuret. Et si etiam voluntarie offerantur, nullus recipiat, cum ex hoc observantia nostri Ordinis plurimum confundatur et corrumpatur. Et si quae hactenus receptae sunt, illae non dentur Conventibus diebus praedictis, sed potius diebus aliis quibus ex Ordine pitantia dari solet; consuetudine contraria, seu verius corruptela, contra rigorem Ordinis fortasse in aliquibus Domibus Ordinis ex hac vel alia quavis causa introducta, quam Statutum improbat, non obstante.

37.- 1900. Adm.4: Monachi et Conversi ab abstinentia in pane et aqua excusari possunt ex aliqua causa quae Priori rationabilis videatur. Attamen, et licet humanae infirmitati omnino

I. ABSTINENTIA [38]

compatiamur, approbare non possumus Priores qui hanc abstinenciam jam non amplius in Ordine servandam esse existimantes, illam indiscriminatim prohiberent subditis suis, etiam his qui, diuturna experientia, norunt se huic oneri impares non esse.

- 38.- Item dicimus de serotina collatione diebus jejunii in
== qua pane et vino contenti esse debemus, etiam diebus Capituli in Adventu et Quadragesima.

2º: ABSTINENTIA: Normae:

- 39.- 1652: Cum aperte Statutum disponat ut saltem semel in hebdomada tribus nominatim exceptis fiat abstinencia, declaramus N.1, Cap.X, Iae P. Statutorum, etiam locum habere in hebdomadis quarum omnes feriae impediuntur festis XII Lect., quo casu, abstinenciam fieri volumus in festo minus digno.

- 40.- 1866. Ord.4: Quando Festum B.Ayraldi occurrit in Sabbato,
== eadem die fiat abstinencia.

- 41.- 1881. Adm.6: Et juxta mentem N.5, Cap.X, Iae P. Statutorum,
== abstinencia pro solemnitate Nativitatis Genitricis Dei Mariae fiet feria sexta, nisi occurrat ipsa die festum XII Lect., quo casu servandus esset N.10 ejusdem Capituli.

- 42.- 1886. Adm.9: In Adventu, Quinquagesima et Jejunii IV Temporum, si feria quarta communi abstinencia aut aliter impedita fuerit, secunda Fratrum abstinencia ad aliam diem non transfertur, et pro tali abstinencia, nihil fit omnino.

ABSTINENTIA A LACTICINIIS:

1º: Fidelitas.

2º: Normae.

1º: ABSTINENTIA A LACTICINIIS: Fidelitas:

- 43.- 1644: Servetur Statutum de abstinenciis a lacticiniis
== faciendis temporibus a Statuto ordinatis revocantes licentias super hoc forte aliquibus Domibus concessas.

2º: ABSTINENTIA A LACTICINIIS: Normae:

- 44.- 1880. Adm.2: Uniformitatis causa, omnes Ordinis Domos
== abstinenciam a lacticiniis incipere in Adventu feria secunda post Primam Dominicam, juxta Cartusiae consuetudinem, opportunum judicamus.

I. ABSTINENTIA A LACTICINIIS [44]

[85] ABSTINENTIA A LACTICINIIS

5.- 1892. Adm.8: In Vigiliis Solemnitatum Beatæ Virginis Mariae, quando occurrit Festum Capituli, susceptio novi Prioris vel sepultura, non jejunamus, sed abstinemus a lacticiniis.

ABSTINENTIA AB ESU CARNIUM: (Vide etiam: 1000-1014)

- 1°: Fidelitas.
2°: Normae.

1°: ABSTINENTIA AB ESU CARNIUM: Fidelitas:

16.- 1327: Ordinationes contra esum carniū juxta antiquissimam consuetudinem Ordinis nostri, devotam, laudabili et honesta, diligenti et continua observantia ab origine Ordinis custoditam, renovamus; qui contra fecerit tanquam criminosus puniatur.

17.- 1328: Sub poena depositionis a suis officiis omnibus Prioribus et Vicariis Monialium nostri Ordinis inhibemus ne ullo modo sustineant quod aliquae personae cujuscumque conditionis existant intra clausuras Domorum suarum, carnem comedant quavis causa.

48.- 1394: Sollicite nobis providendum est, ne tam sollemnis et famosa observantia ex negligenti cura paulatim a suo rigore relaxetur, nec etiam conveniens esse videtur, quod personae Ordinis, quae esui carniū penitus abrenunciaverunt, ex earum contactu et foetore, mentes vel etiam corpora debeant maculare.

2°: ABSTINENTIA AB ESU CARNIUM: Normae:

49.- 1874. Adm.3: Ad tollendum omne dubium super esu avium aquatiliū quas fulices vocant, notum omnibus facimus, ex Rescripto Sacrae Congregationis super disciplina regulari, sub die 4a Martii 1874: "Licere Cartusianis vesci fulicibus, iis tantum diebus quibus universitati fidelium communi Ecclesiae praecepto vel peculiari diaecesano carnibus vesci non est interdictum. Ubi vero antiqua locorum consuetudine toleratur ut aliis quoque diebus fulices comedantur, consulendum esse Cartusianis ut ipsi tamen abstineant et nunquam illas in unica, jejunii tempore, comestione, piscibus admisceant, contrariis non obstantibus.

[49] ABSTINENTIA AB ESU CARNIUM

AEDIFICIA: (Vide etiam: 1015-1080)

- 50.- 1607: Quoniam audivimus nonnullos esse Priores qui bona
== et proventus Monasteriorum, nescio qua prodigentia, in fa-
bricas et aedificia insunt; ideo Ordinationem Capituli
Generalis latam anno 1602 renovamus (hodie n. 14 in fine,
Cap. XII, Iae P. St.), eamque strictam observari volumus, ad-
dentes et declarantes requiri in praefatis aedificiis facien-
dis, praeter Conventus consensum, licentiam Visitorum, Re-
verendi etiam Patris approbationem in scriptis obtinendam.
- 51.- 1676: Ut tollantur abusus qui saepe irrepunt ex licentiis
== indeterminate obtentis circa aedificia construenda, unde ac-
cidit ut curiosa, superflua, et a simplicitate cartusiana
aliena aedificia ad aedificantis libitum, non raro erigan-
tur; statuimus ut in posterum nemini liceat uti licentia ge-
nerali aedificandi, nisi prius ipsius structurae vestigium
in plano et etiam elevationis fabricae in altum delineatio
fuerint exhibita et determinata ac juxta n. 14, Cap. XII, Sta-
tutorum nostrorum a Visitoribus prius examinata, tandem
a Reverendo Patre fuerint approbata et subsignata, quibus
postea nemini liceat aliquid notabile in murorum ambitu ad-
dere, demere aut immutare, absque expressa licentia, sub
poena.....
- 52.- 1735: Observari mandamus, sub poena absolutionis, n. 14,
== Cap. XII Statutorum quo prohibetur universis omnia curiosa
et superflua aedificia; ea vero quae, licet non sint neces-
saria, utilia tantum et commoda esse videbuntur, nullus fa-
cere praesumat sine consilio et consensu officialium et
duorum ex discretioribus, et nisi uterque Visitor informa-
tus fuerit de commoditate talis aedificii et de loco et for-
ma ipsius, et praeterea accedat licentia Reverendi Patris.
- 53.- 1877. Adm. 11: Quatenus sint ex Statutis nostris Visitato-
== rum jura et potestas attendant omnes, et ad eosdem, casu
occurrente, recurrant, maxime pro construendis et restau-
randis aedificiis, juxta iam Partem Statutorum nostrorum,
Cap. XII, n. 14, atque Ordinationes anni 1602 et anni 1676.
- 54.- 1884. Adm. 5: Ad memoriam Priorum iterum revocamus n. 13,
== 14 et 15, Cap. XII Statutorum nostrorum, ac Ordinationes anni
1602 et anni 1676. Ex his omnibus patet pro aedificiis con-
struendis aut restaurandis cum notabili mutatione structu-
rae requiri, praeter consensum Conventus vel saltem officia-
lium et duorum ex discretioribus, licentiam utriusque Visi-
tatoris, praemissa debita informatione, in scriptis conces-

[55] AEDIFICIA

sam, et denique licentiam Reverendi Patris. Ad tollendum vero omnem abusus praetextum aut dubitandi occasionem, declaramus quamcumque pro aedificiis expensam, quae duo millia francorum aureorum excederet, non posse fieri absque praedictis licentiis, etiamsi donaretur pecunia.

- 55.- 1893. Adm. 2: Ad memoriam omnium iterum revocamus n. 14, Cap. XII Statutorum nostrorum et Ordinationes anni 1602 et anni 1676 de aedificiis construendis vel restaurandis; Declarat Reverendus Pater quod de Domo Cartusiae nihil sperandum sit pro hujusmodi expensis, nisi Prioris petitioni sit annexus saltem officialium et duorum ex discretioribus in scriptis datus consensus cum Visitorum licentia pariter scripta. Qui opus inciperent Piores nondum receptis Reverendi Patris licentia et consensu, periculo obviam irent sumptu suo aedificandi, etiam si antea ad Domum misisset Reverendus Pater peritos qui pararent omnia. Attamen si Conventus esset in culpa vel irrationabilis ejus repugnantia, re mature perpensa, pro bono Domus et Ordinis ultra progredi posset Reverendus Pater.
- =====

AGRICULTURA:

- 56.- Nova Collectio: III Pars, Cap. XIII: Quidquid ad Agricul- turam et Pecorum nutrimentum pertinet, Priorum discretioni disponendum relinquitur; qui habita ratione locorum, temporum, necessitatum et majoris utilitatis Domorum et personarum Ordinis, de ipsis ordinabit prout secundum Deum et conscientiam melius sibi expedire videbitur. Nisi autem aeconomiae leges ad talia necessariae optime sciantur atque etiam serventur apud nos prout antiquitus servabantur; cum Fratres per seipsos et non per Mercenarios rusticationis opera cum magno labore et expensarum tenuitate complebant; inde saepius fit temporalium jactura, per expensas quae redditum superant, unde lucrum sperabatur. Hinc fit ut agricultura per colonos nobis communiter utilior sit nunc quam si per proprias manus fieret, atque etiam in pecoribus per nos ipsos alendis et curandis, magna cautela et sobrietas adhibenda sint, nisi velimus etiam ex majoribus dispendiis damnum et inquietudines pro labore reportare. Cum vero ad Priorum sollicitudinem pertineat juxta Statutum curare ne quid depereat, ne quid inutiliter expendatur, caute ideo invigilare debent ne aliquid ultra convenientem necessitatem, aut evidentem et probatam utilitatem in hac parte suscipiamur. Ad quod etiam expensas cum proventu inde obveniente per seipsos saepius examinare et supputare debent, sed ante omnia

sollicite praecavere, ne propter similia commoda, quae incerta sunt et saepe non necessaria, maxime in Domibus quae nunc sine istis, religiose et honeste subsistere possunt, aliquas personas Ordinis periculis suae salutis, aut detrimentis spiritualibus exponant, si velint durissimum iudicium Dei evadere, quod fiet his qui praesunt, si animarum lucra, quae magno pretio Christi Sanguine emptae sunt, temporalibus lucris non praeponant. Saepius tandem hisce temporibus accidere variis experienciis compertum est, ut ex talibus, per nos ipsos non satis discrete susceptis, nec satis caute gubernatis, cum quarundam personarum Ordinis spirituali damno, multa etiam temporalia deperierint, unde de istis prudenter gubernandis et non nisi moderate, aut exigente aliqua justa et rationabili causa suscipiendis, Priorum et Visitorum conscientias oneramus.

=====

ANNALES:

57.- 1615: Quoniam ad totius Ecclesiae et Ordinis bonum utile fore iudicamus si chronologica rerum Cartusianarum historia in lucem edatur, ideo Capitulum Generale mandat omnibus Prioribus et Superioribus Domorum, ut Fundationes, privilegia, miracula, et alia id genus insigniora et zelatu digna transmittant ad Reverendum Patrem per exempla fideliter recognita, idque intra annum.

58.- 1686: Quia propositum jamdudum conceptum componendi et divulgandi Chronica Ordinis partum tandem vicinum est, et Reverendus Pater, evocatis ad se hujus compositionis studiosis operariis manum ad opus incunctanter missurus est, monentur omnes Domus Ordinis ut infra annum singula curent memorialia rerum notabilium quas apud se a tempore memorabili envenisse nossent et huic operi inseri posse censebunt.

Quod opus in tres partes dividetur in quarum prima Instituti nostri ratio, spiritus et firmitas enucleabuntur ac per Statutorum veterum ac novorum ad invicem collectorum litteram, necnon per Ordinationes Capitulorum Generalium probabuntur.

In Secunda: De viris pietate et observantia regulari claris agetur.

In Tertia vero, historia texetur fundationis Domorum et rerum notabilium quae in singulis per diversa tempora evenerunt.

Quae succincte et observato in omnibus Cartusianae simplicitatis stylo scribentur, non enim ad ostentationem,

sed ad propriam aedificationem omnium nostrum et consolationem composita esse volumus: et maxime ad suscitandum semper in nobis zelum insequendi vestigia antiquorum Patrum et ab ipsis nunquam aberrandi.

59.- 1895. Adm.9: Valde optandum est ut Priores, Patrum nostrorum vestigia insequentes, ipsi, vel cui injunxerint, facta Domus praecipua scriptis notent, et res memoria dignae non dentur oblivioni.

60.- 1904. Adm.2: Ut jam omnibus notum est, nuperrime aliqui ex nobis manum miserunt, adprobante Reverendo Patre, ad continuationem Annalium Ordinis Cartusiensis. Ad hoc debito modo perficiendum opus, necesse nobis videtur ut quaelibet Ordinis Domus, statim ac potuerit, mittat ad Reverendum Patrem catalogum seu indicem librorum, documentorum aliarumque chartarum suarum quae ad historiam sive totius Ordinis, sive etiam singularum Domorum, aliquo modo facere possunt. Sed expresse commendamus ac volumus ut omnia fiant cum discretione et absque detrimento vitae solitariae, ad quam, ut aiunt Statuta nostra, specialiter vocati sumus.

ANNIVERSARIUM:

61.- 1442: Aliquarum Domorum consuetudinem introductam... quae volentes Anniversaria transferre propter inchoationem Tricenariorum Chartae... diebus duodecim Lectionum Agendam in cellis dicendam... tanquam nimis gravem et a Statutis exorbitantem, reprobamus, declarantes quod jure Statutorum possint Anniversaria interpolate transferri... (Tunc erant sexaginta vel septuaginta Tricenaria Chartae).

62.- 1892. Adm.5: Officium Anniversariorum applicatur his tum Ordinis alumnis, tum extraneis, quorum anniversarius occurrit dies obitus, et quorum nomina sub hac die in Calendario Domus describuntur vel describi debuissent; itemque applicatur his quorum Anniversarium die proprio non fuit persolutum, sed ad diem praesentem translatum, juxta Cap. XXXVII Ordinarii. Quod si forte in certis Domibus dies omnino vacarent, tunc Anniversariorum Officium defunctis applicaretur pro quibus in hoc Officio dicuntur Orationes.

63.- 1895. Ord.2: In omnibus Domibus, etiamsi nullum sit Anniversarium in Calendario Domus inscriptum, Agenda dici debet cum orationibus Officii Anniversariorum, nisi quando aliter ordinatur, et adnexam habet Missam die sequenti celebrandam.

64.-1908. Adm.3:.....Ut perpetuis suffragiis non priventur il-
 == li qui propter nonnullarum Domorum suppressionem Anniversa-
 rium perpetuum nullibi haberent, singulis annis Generale
 Capitulum tale beneficium illis concedet in una e Domibus
 nunc existentibus. Mandamus insuper ut Anniversaria aliunde
 debita etiam in Calendariis Domorum quibus spoliati sumus,
 fideliter inscribantur.

=====

ANTIPHONAE:

65.- 1890. Adm.3: Verba "ex ordine" n.14, Cap.XX Ordinarii ita
 == intelligi volumus, ut inchoentur Antiphonae juxta locum
 quem hic et nunc quisque occupat, non habita necessario
 ratione antiquitatis in Ordine.

66.- 1892. Adm.4: N.15, Cap.XV Ordinarii nostri sic intelligen-
 == endus est ut nullus inter eum qui Antiphonam inchoat vel Psalm-
 um aut Hymnum intonat et formas ejusdem Chori debeat transi-
 re; ne inter utrumque Chorum quis transeat minime prohibetur.

=====

ANTIQUITAS IN ORDINE:

67.- 1890. Adm.8: Juxta n.13, Cap.XVIII, Iae Partis Statutorum
 == nostrorum, ordinem seu locum ubique in Conventu eum cuncti
 regulariter tenemus, quem singulis suis dedit adventus. Sic
 duorum Postulantium qui eodem die vestiti fuerint, qui prius
 venit, primus est; sed qui posterior venit, si quacumque de
 causa prius Professionem votorum simplicium fecerit, primus
 deinceps remanet, etiamsi forte Professionem solemnem emi-
 serit posterius. Anni enim Professionis, juxta Sanctae Sedis
 declarationem, a die emissionis votorum simplicium computan-
 tur. Si contingeret igitur differri vel anticipari solemnem
 Professionem, quem inde alius primum antecederet, postea,
 facta Professione votorum solemnium, locum suum recuperaret
 ipse.

=====

ASSOCIATIONES:

68.- 1180: Societates sine consensu Generalis Capituli non
 == fiant de caetero.

BALNEA: (Vide etiam: 1088-1089)

69.- 1788: Ut accuratior ab omnibus personis Ordinis in posterum servetur n.13, Cap.XI, lre Partis St., stricte prohibemus ne sanitatis causa Priores vel officiales balneas vel aquas publicas adeant; nec super hoc quacumque ex causa ulla detur dispensatio.

BENEFICIA SPIRITUALIA: (Vide etiam: 1091-1099)

70.- 1331: Praecipitur ut districtius et efficacius potest fieri omnibus personis Ordinis, ut nullus, modo quocumque seu colore, per se vel per alium, directe vel indirecte, factis aut verbis aut signis aut litteris, aliquam personam cujuscumque conditionis existat, inducat ad petendum ab Ordine aliquod beneficium speciale, praeterquam recommendationem generalem quae precibus Ordinis fieri consuevit, nec leviter concedant Anniversarium in Domibus suis, nec ullo modo pro temporalibus ad spiritualia se obligent, nisi prout licite fieri poterit de consilio peritorum.

BIBLIOTHECA: (Vide etiam: 1100-1106)

71.- 1222: Libros cum commodantur, nullus contra commodantium retineat voluntatem.

72.- 1577: Cum ex asportatione librorum nedum notabiles sequantur Domorum jacturae, sed plerumque controversiae, et ut Monachi paupertati studeant, nequaquam liceat a Domibus cum capsula vel sacco pannis et libris pleno recedere. Ordinamus vestes, libros et alia necessaria, Prioris arbitrio ad modicum numerum reduci.

73.- 1892. Adm.11: In unaquaque Domo, Bibliothecae praeponatur religiosus gravis et silentii amator, qui omnem abusum praevenire aut rescindere queat. Monachis non licet cum supervenientibus colloqui, sed tantum cum Praesidente paucis uti verbis. Aliquando inquirant Priores quibus studiis incumbant Monachi et quos libros deferant.

BREVIS:

- 74.- 1834: Cum Ordo noster sit valde imminutus, nullus jam in
 -- posterum praefigetur determinatus numerus Brevium, sed tot
 singulis annis reddantur quot fuerint per Chartam persona-
 rum Ordinis nostri tali suffragio gaudentium obitus denun-
 tiati.....(Ante Turbationem Galliae, erant centum Breves
 singulis annis).
- 75.- 1906. Adm.5: Solvuntur diversa dubia circa officia de-
 -- functorum ut uniformitati consulatur:
 Juxta n.6, Cap.XL Ordinarii, postquam Breves publice af-
 fixi fuerint, statim persolvendi sunt; nec debet differri
 Agendae recitatio, nec Monachatus Missarum celebratio do-
 nec Brevis in Capitulo lectus fuerit.
 In Domo defuncti non denunciatur obitus ejus in Ca-
 pitulo post sepulturam.

BRUNO: (Vide etiam: 1107-1111)

- 76.- 1875. Adm.3: In Missa votiva Sancti Patris nostri Bruno-
 -- nis, tempore paschali, dicatur Evangelium: "Ego sum vitis
 vera".

CANTUS: (Vide etiam: 1115-1132)

- 1°: Lectio hebdomadaria.
 2°: Generositas.
 3°: Instrumenta.

1°: CANTUS: Lectio hebdomadaria:

- 77.- 1866. Ord.9: Volumus ut qualibet hebdomada una cantus
 -- lectio habeatur a Novitiis et Junioribus Professis in
 unaquaque Ordinis Domo.
 2°: CANTUS: Generositas:

- 78.- 1883. Adm.9: In cantu sicut nullus ante alios incipere
 -- et nimis currere, ita nullus post alios nimium trahere vel
 punctum tenere praesumat: cum religiosa quidem gravitate,
 sed rotunda et viva voce cantemus, virili et sonitu et af-
 fectu voces Sancti Spiritus depromentes. Qui nimis lente
 vel festinanter nimis psallere et cantare praesumpserint,

modeste corrigere ac emendare debent Cantores vel Praesidens, quando ipsi expedire videbitur. Nullus Cantoribus vel Praesidenti resistere audeat, nec Praesidenti Cantores ipsi; nullus, exceptis Praesidente et Cantoribus, alios corripiat; sed quae corrigenda putarentur, Praesidenti, extra Chorum, unusquisque humiliter exponat.

79.- 1897. Adm.4: Quoniam aliqui ex nobis remisse nimis se gerunt circa cantum Officii divini, eos serio admonemus ut, non parcentes vocibus, prout jubetur a Statutis, magis attendant ad obligationem cantandi quae incumbit Monachis servitio Chori addictis. Monemus etiam Priores ut nullo modo praesumant ad Professionem recipere Novitios quos in hoc negligentes, aut huic obligationi impares, deprehendunt.

30.- 1397: Ad obviandum negligentis quorumdam qui de facili cultum divinum minuunt ac negligunt, ordinamus quod nulli Priori seu Rectori vel Conventui a cantu liceat tam in horis diurnis quam nocturnis seu in Missa abstinere, nisi tamen ad parvum numerum vel debilitatem aliquis Conventus devenisset, quod iudicio Visitorum suorum in toto vel in parte a cantu deberet supportari. Si quis Prior vel Rector vel Conventus contra fecerit, absque misericordia teneat ordinem usque ad sequens Capitulum Generale in quo clamet culpam suam, recepturus de sua inobedientia et negligentia condignam disciplinam.

31.- 1479: Quia percepimus quod in certis Domibus Ordinis, Officium Divinum ex integro non celebratur cum cantu, ordinamus quod amodo ubi erunt octo Monachi cum Priore, totum officium diurnum et nocturnum cum cantu celebratur juxta morem Ordinis, et hoc faciunt Priores observari.

32.- 1596: Declaramus per parvas Domos intelligi eas in quibus pauciores quam octo Monachi actu resident, qui Divinum Officium conventualiter non persolvunt.

3º: CANTUS: Instrumenta prohibita sunt:

33.- 1326: Ordinamus ut nullum instrumentum musicum aut sonorum cujuscumque generis etiam monochordium in nostro Ordine de caetero habeatur, et nulla persona Ordinis nostri his utatur.

CAPITULUM FRATRUM:

84.- 1898. Adm.6: Nonobstante Cap.XVIII Caeremonialis Fratrum, Conversi, juxta n.2, Cap.II, Illae Partis Statutorum, non

recognoscant culpas suas in praesentia Monachorum. Insuper Fratres Capitulo non intersint, nisi quando fit Sermo in vernacula lingua, et in Coena Domini.

=====

CAPITULUM GENERALE: (Vide etiam: 1135)

- 85.- 1879. Ord.5: Ordinamus quod Vicarii Monialium sedem et
 == locum post Priores immediate habeant.
- 86.- 1879. Adm.3: Servetur n.1, Cap;LI Ordinarii de pulsanda
 == Prima in cunctis Domibus, peractis Matutinis, in primo
die Capituli Generalis, nisi Festum Capituli impediatur;
 et mane cantetur Missa de Spiritu Sancto.
- 87.- 1882. Adm.6: Quando leguntur Chartae Capituli Generalis
 == aut Visitationum recedere debent Novitii; et prohibemus
 ne praedictae Chartae juxta tabulam vel alibi publice
 exponantur.
- 88.- 1886: Ad Capitulum ascensuri, Priores, Vicarii Monialium,
 == et Rectores ita cuncta disponant ut, si forte ipsis fieret
 misericordia aut mutarentur de Domo ad aliam Domum, ad Do-
 mum pristinam redire non teneantur.
- 89.- 1402: Ordinamus quod in singulis Domibus Ordinis Chartae
 == Capituli Generalis in sacristia vel alias sub clave custo-
 diantur, sic quod ad notitiam saecularium non perveniant.
- 90.- 1411: Ordinamus quod auctoritas Capituli Generalis quae,
 == quandoque ex causa committitur super annum Prioribus sic
 sit intelligenda quod ea utantur solum in casibus qui Ca-
 pitulum Generale sine periculo vel gravi damno expectare
 non possunt. Et si aliquid notabile concesserunt, denun-
 tiant futuro Capitulo Generali vel Reverendo Patri Domino
 Cartusiae, nec intentu hujusmodi concessionis licentiandi
 personis Ordinis visitandi parentes habeant auctoritatem.
- 91.- 1587: Quia novis succedentibus malis et periculis nova
 == debent adhiberi remedia, cum videamus obedientiam in Ordine
 nostro deperire, et plures sint qui timore potius quam
 filiali amore ad nutum obediunt Matri Cartusiae et Capitu-
 lo Generali dedignantque simplicitatem et humilitatem Ma-
 tris suae Cartusiae cognoscere; cumque maxime referat pas-
 torem gregem suum ex vultu cognoscere, exque officio supe-
 rioris sit subditorum animos, sensus et capacitatem pro-

92] CAPITULUM MONACHORUM

bare, ordinamus et volumus ut omnes Priores, Rectores, Vicarii Monialium teneantur primo aut saltem secundo anno promotionis suae venire ad Capitulum Generale, in quo fidem faciant de sua pietate, doctrina, sufficientia et obedientia in Ordinem, alioquin sint ipso facto absoluti, nisi aliquam rationem suae morae reddiderint, quam habebit Capitulum Generale, vel Reverendus Pater probare.....

APITULUM MONACHORUM:

2.- 1508: Consuetudinem quarundam Domorum nostri Ordinis in quibus Vicarii in absentia Priorum pro fractione silentii disciplinam cum virgis non imponunt, tanquam erroneam et Statutis nostris contrariam, penitus reprobamus. Et injungimus eisdem ut hujusmodi disciplinam amodo non omittant, nec in aliam poenitentiam attentent immutare, nisi in casibus in Statutis expressis.

3.- 1679: Recognitio culparum diebus Dominicis nunquam omittatur in absentia Prioris. Vicarius enim aut Antiquior debent respondere culpas suas recognoscentibus, juxta n.5, Cap.V, Iae Partis Statutorum, poenitentiasque a Statutis impositas imponere.

4.- 1837. Ord.4: Admonemus ut de caetero observetur n.5, Capituli VIII, Iae Partis Statutorum de disciplinis dandis in Capitulo pro fractione silentii.

5.- 1883. Adm;6: Ad memoriam revocamus n.26, Cap.XXII, Iae P. St., quo praescribitur ut Admonitiones per Capitulum factae in uno libro ad hoc praeparato singulis annis describantur, et hortamur Venerabiles Patres Priores ut in Solemnitate Omnium Sanctorum, vel in sequentibus Festis Capituli, tam illas Admonitiones, quam eas quae fiunt a Visitatoribus, legere faciant, ac praesertim illas quarum iterata lectio majori Domorum utilitati opportunior judicabitur.

6.- 1894. Adm.2: Strictius servetur n.1, Cap.XXXVII Ordinarii de habendo Calendario, in quo describantur in die obitus sui qui in Domo habent Anniversarium perpetuum. Novae Domus hoc incipiant ab anno foundationis suae; caeterae vero quarum non exstat Calendarium antiquum vel Necrologium, ab anno instaurationis. - Insuper, ne citius pereat memoria defunctorum nostrorum et ut ferventius pro ipsis oremus, die Dominica, in Capitulo post Primam lector Martyrologii, vel post Nonam Sacrista, Calendarium legat, etiamsi officia transfer-

96] CAPITULUM MONACHORUM

rentur, dicens: "Nomina defunctorum quorum obitus dies anni-
versarius occurrit in hac hebdomada: die tali, mensis ta-
lis...." et in fine: "Et alii quorum nomina in Calendario
nostro describenda essent, et pro quibus tenemur Anniver-
saria persolvere."

- 97.- 1894. Declaratio R.P.: Cum circa 2am Admonitionem Capi-
tuli Generalis praesentis anni jam nonnullae exortae sint
difficultates et proposita dubia, illam ita intelligi vo-
lumus ut, etiam in Domibus quarum exstat Calendarium anti-
quum aut Necrologium, ab anno tantum instaurationis legan-
tur defunctorum nomina, vel, si forte suppressionem prae-
dictae Domus passae non fuerint, ab anno primo hujus saeculi.
Juxta hanc regulam confici quoque poterit Calendarium no-
vum, accepto volumine ad hoc parato, quod singulis Domibus
mitti jussimus. Lector vero in fine dicat: "Et alii quorum
nomina in hoc Calendario, vel in antiquioribus Domus nos-
trae Calendariis descripta sunt aut describenda essent,
et pro quibus Anniversarium persolvere tenemur."
- 98.- 1898. Adm. 7: Optandum nobis videtur ut Admonitio 6a anni
1883 ad Fratres extendatur. Quapropter hortamur Procurato-
res ut in uno libro ad hoc praeparato, singulis annis, des-
cribant Ordinationes et Admonitiones tum Capituli Generalis
tum Visitorum quae ad Fratres spectant, easque, aut sal-
tem ex eis utiliores, legant Fratribus in eorum Capitulo,
a Solemnitate Omnium Sanctorum et deinceps.

CARITAS FRATERNA: (Vide etiam: 1136-1161)

- 99.- 1439: Nos Diffinitores Capituli Generalis nostri Cartusien-
sis hoc anno 1439, de mense Maii, juxta morem Ordinis usita-
tum in Domo Cartusiae dono Dei unanimiter celebrati: Reve-
rendo in Christo Patri Domino Cartusiae, caeterisque Domorum
dicti Ordinis Prioribus, Rectoribus, Monialium Vicariis, et
singulis Conventibus ejusdem Ordinis Professoribus, salutem,
et pro bono communi unitatis et pacis salubriter conservando,
velint aures cordis patulas mentemque vigilem scriptis prae-
sentibus applicare, illaque solerter perducere ad operis ef-
fectum.

Ad providum siquidem dicti Capituli Generalis Pastoris
et Capituli Ordinis Cartusiensis diligentiam pertinet statum
Domorum aut Monasteriorum sibi immediate subjectorum et per-
sonarum omnium in eis Domino virtutum famulantium, sic at-
tenta meditatione circumspectum prospicere, quod materia
quaelibet perturbationis et scandali divini cultus augmen-

tum ac personarum in eis degentium per decantationes Laudum fructum laborum, impediendo praeciso, pacis fundamenta stabiliat, praeterita corrigat, disponat praesentia, et sic caute provideat de futuris, quod in quantum valet humana praevisionis, Divina gratia suffulta, de contingentibus nihil omittat. Et quoniam Dei voluntas et maxima atque praecipua ut super omnia caritatem pacemque et unitatem inter se homines custodiant, ita ut sine ipsa, nec orationes, nec eleemosynae, sed neque pro fide martyrium Deo grata sint, cavendum est summopere ne Satan ille fraudulentissimus qui in universali Ecclesia sancta Deidiscordiarum semina jactare coepit, ad residuum particulare statum, aut portiones ac membra minora deriventur. Hinc est quod nos Diffinitores praefati, hujus inimici versipellis versutias et astutias, quantum Divinae pietatis bonitas concesserit, declinare cupientes, pacemque praedictam ac sanctimoniam in qua Deo glorioso humiliter militare proposito professionis nostrae statuimus, mensuram qua Deus nobis mensus est, in humilitate Ordinem nostrum retinentes, nec plus quam oportet sapere volentes, ad solam concordiam et hierarchiam unionis Ordinem sub Vicario Christi dicti Ordinis nostri Primicerio sive mystico capite, invicem persistere, et in illa, Deo conservante, solide remanere decernentes subscriptos articulos eidem Reverendo Patri Cartusiae, caeterisque personis Ordinis supra nominatis in omni caritate observandos relinquimus in haec verba:.....

1^o: Quod non obstante flebili statu Ecclesiae, in quocumque eventu dictae Ecclesiae, nec Reverendus Pater Cartusiae a suo corpore, nec corpus ab eodem suo capite discedere nec dividi debeant, turbationem et discordiam domesticam omnibus modis et cautelis in Caritate Christi declinando.

(Sequuntur dispositiones circa unitatem Ordinis post schisma Concilii Basilensis, in casu quo Ecclesia de novo forte dividenda esset...Deinde): Item ut omnis malitia et occasio divisionis ubilibet in Domibus et personis Ordinis facilius auferantur et lites domesticae declinentur. Nos, Diffinitores praefati, hortamur omnes Priores Domorum quatenus subditis suis colloquia, disputationes et omnes verbales et reales concertationes tanquam venenosum semen zizaniarum ad discordiam et partialitates disponentes interdiciant, et ab eis penitus declinantes ad orationes et alia similia exercitia quibus omnipotens Deus, pacis et unitatis amator, reproprietur Ecclesiae suae Sponsae, quam Pretioso Christi Sanguine redemit, humiliter se convertant.....

100.- 1594: Quia nihil tam decet christianum nedum Cartusianum quam charitatis officia et hospitalitatis jura servare erga consortes naturae maxime autem ejusdem professionis et vocationis, ideo pertinere ad nos judicamus ea diligentius nos-

I. CASUS CONSCIENTIAE [101]

tris commendare et rogare, ut personas Ordinis ad se adven-
tantes lubenter suscipiant et humane tractent et gratis om-
nia propter illius amorem qui suscepit nos et omnia imo se-
ipsum gratis nobis donavit. Hac tamen occasione nolumus
personas Ordinis vel ibi diutius manere, vel frequentius
exire de suis Domibus.....

CASUS CONSCIENTIAE:

101.- 1922. Adm.1: Pro solutione casus moralis et liturgici
--- quae, juxta can.591, haberi debet in qualibet formata Do-
mo, nullas determinatas regulas omnibus indiscriminatim
Domibus imponimus, sed opportunius nobis videtur eas ar-
bitrio Prioris relinquere pro Domo sua determinandas.

CELLA: (Vide etiam: 1162-1164)

102.- 1395: In Domo Vallis Jocosae fiant inter cellas inter-
--- stitia secundum quod est in Ordine consuetum. (Pr. Alema-
niae Superioris).

103.- 1587: Ex quo per Novorum Collectionem Statutorum prohibi-
--- tum est fagotos sive fardellos circumferri, ob nonnullorum
Priorum tenacitatem et personarum acceptionem, multae exau-
diuntur querelae religiosorum; alii abundant vestibus, li-
bris et superflua supellectile cellae, alii nudi et omni
necessaria commoditate privati, ita ut alii domini, alii
servi videantur; quapropter aequalitatem et fraternitatem
zelantes, ordinamus et districte injungimus Prioribus ut
sese omnibus aequaliter exhibeant Patres, liberales et be-
nevolos; Visitoribus autem ut in actu Visitationis visi-
tent religiosorum cellas, et curent ut illis provideatur
de vestimentis ad formam Statuti, auferant superflua ut
dividant inter egentes et quantum poterunt hujusmodi inor-
dinationes et singularitates abscindant.

CEREUS:

104.- 1869. Ord.2: Inhaerentes resolutionibus a Sacra Rituum
--- Congregatione pridem editis, candelas stearicas, vulgo:
"bougies stéariques", in omnibus nostris ecclesiis, pro
Divino cultu, omnino prohibemus.

I. CEREUS [104]

[105] CEREBUS

105.- 1877. Adm.5: Quoad tertium cereum in Missis, si fuerit sacerdoti necessarius (n.38, Cap.XXIII Ordinarii), stricte servetur Ordinatio anni 1869 qua prohibentur pro Divino cultu candelae stearicae.

CLAUSURA: (Vide etiam: 1165-1170)

106.- 1906. Adm.3: In sacellis exterioribus et locutoriis Domorum nostrarum nulla sit janua per quam aditus in clausuram pateat.

COADJUTOR:

107.- 1881. Ord.4: Qui Coadjutores vocantur Monachi, nec Procuratoris officium exercent, nec privilegiis ejusdem gaudeant. Proinde vices illius in ecclesia et in refectorio non gerant, nec Domus terminos exeant, sed officiis specialiter a Priore sibi commissis sint contenti.

COENA: (Vide etiam: 1171-1172)

108.- 1326: Nulla occasione in Refectorio ad coenam Conventui pitantia detur, aut ab aliquo in Conventu comedatur; qui contrarium fecerit aut fieri permiserit, prima die sequenti sine Capitulo, a vino abstinere teneatur.

109.- 1414: Ordinamus ut de caetero non dentur pitantiae in coena conventualiter.

110.- 1678: Prohibemus in Domibus Provinciarum Cartusiae et Burgundiae, ne plura fercula ministrantur in coenis dierum binae refectionis quam in ipsa Domo Cartusiae ministrantur, ne etiam diebus abstinentiae deputatis, aliud in prandio pro pitantia ministretur quam pars piscis saliti cum leguminibus, sub poena absolutionis quoad officiales; Priores vero qui contra fecerint, velut observantiae regularis et Cartusianae sobrietatis parum zelatores per Capitulum Generale condigne venient puniendi.

111.- 1881. Adm.8: Ut sensus n.9, Cap.XIII, IIae Partis Statutorum debite exponatur, declaramus quod Conversi poterunt, diebus exceptis jejunii in eodem Capitulo expresse praefinitis, aliqua legumina vel alia similia a coquinario pro coena accipere.

[111] COENA

CONFESSIO: (Vide etiam: 1175-1181)

- 112.- 1442: Super verbo Statuti dicentis quod prostratus debet esse qui confitetur, ac detecto capite, ordinamus quod non prostratus, sed genibus flexis, procumbendo super formam amodo confiteatur, cum iste sit modus Ecclesiae sanctae Dei magis conformis et a personis Ordinis quae varia interdum patiuntur impedimenta, honestius practicabilis.
- 113.- 1717: Audivimus aliquos religiosos in ea opinione vel potius errore esse, ut sibi fingant quod poenitentes absoluti in foro poenitentiae duntaxat a confessariis ordinariis, in diebus Purificationis et Nativitatis Beatae Mariae non teneantur satisfacere praecepto Superioris in die Palmarum pronuntiando, post editionem Statutorum Romae factam, eo quod in ea ommissa sint, in n. 10, Cap. VII, Iae P. St., de Confessione, haec verba: "cum onere satisfaciendi"; quae quidem verba idcirco ommissa sunt quia erant supervacua, cum praesertim quilibet inferior, de jure communi et obedientiae voto, teneatur satisfacere praecepto Superioris, postquam ab eo secundum leges et regulas Instituti fuerit promulgatum, quamvis a proprietatibus inferior jam fuerit absolutus in foro poenitentiae. Consulantur et serventur n. 8 & 9 Cap. LV Ordinarii, quibus praefata quorundam opinio errans et falsa aperte convincitur. Eam etiam talem declaramus et contrariam menti Summi Pontificis, qui sententiam diei Palmarum sine ulla prorsus mutatione in pristino ejus robore reliquit, nec unquam intendit ullum praejudicium facere juri tertiae personae seu Superiorum localium. - Excipitur autem confessio quae fit apud confessarium ab Ordinario loci approbatum.
114. 1889. Adm. 2: Concedimus ut Prior a Capitulo Generali absolutus Confessiones excipere queat sicut antea, donec successor sedem acceperit; item Vicarius absolutus donec lecta fuerit Charta necnon cognoverit ille redeuntis Prioris adventum, vel sedem acceperit novus Prior. Caeteri autem Confessarii qui sine dubio delegatam tantum habent jurisdictionem, hanc retinent, etiam absoluto Priore, usque ad revocationem. Denique concedimus ut, praeter Vicarium novum, Magister Novitiorum a Capitulo Generali nominatus, ante adventum Prioris confessiones audire possit.
- 115.- 1911. Adm. 2: Ad memoriam revocamus n. 1, Cap. VII, Iae Partis Statutorum vi cujus requiritur licentia Prioris ut confessiones fiant in cellis; et Priores admonemus hanc licentiam discrete concedendam esse, ne forte praetextu confessionis silentio et solitudini derogetur.

116] CONVERSI: (Vide etiam: 1182-1207)

- 6.- 1636: De caetero non recipiantur Conversi ad habitum nisi si prius probati fuerint per quinquennium post factam Donationem sub habitu Donatorum
- 7.- 1949. Ord.6: In formula Professionis Conversorum, haec ultima verba: "Quod si aliquo tempore....." et caetera usque ad finem, omittantur.
- 8.- 1430: Quaerenti Priori Domus S. Mauritii in Gyrio an Conversi manentes cum Monachis diebus capitularibus Monachorum in quibus Capitulum non habent, jejunare teneantur, respondetur consuetudinis esse quod Conversi Monachis se conforment ubi non sunt Domus Inferiores, licet non ex Statuto. (Pr. Alemanniae Superioris).
- 9.- 1896. Adm.4: Non semper simul, sed saepe saepius sigillatim Conversi recognoscant culpas suas; et quidem pro fractione silentii recipiant disciplinam.
- 10.- 1759: Pro Provincia Castellae: Servetur in tota Provincia n.4, Cap.XV, et n.1, Cap.XVII, Illae P. St., ut Conversi capias deferant coloris castanei, non nigras, sub poena privationis vini.
- 11.- Item inhibemus ne Conversi constituentur Procuratores, tam ad prosequendas lites, quam ad repraesentandum Conven- tum in quibuscumque negotiis.
- 12.- 1889. Adm.7: Ad memoriam omnium revocamus n.14, Cap.I, Illae Partis Statutorum nostrorum quo expresse et omnino prohibetur ne ad statum Monachorum ascendant Conversi et Donati. Qui igitur de tali transitu cogitarent, super hoc dispensationem non expectent; et quod directe concedi nequit, nullus in posterum alia via, quasi in fraudem legis, permittere praesumat.

CORPUS CHRISTI:

13. 1888. Adm.1: In Solemnitate Corporis Christi Processio nullo modo fiat aperto aere, sed per claustra tantum.
- 14.- 1886. Adm.5: Qui per Octavam Corporis Christi coram Sanctissimo Sacramento bini et bini deputati sunt Monachi vel Conversi, genibus flexis et nudatis capitibus permanent, etiam pro persolvendis horis.

24] CORPUS CHRISTI

CUCULLA: (Vide etiam: 1216)

125.- 1911. Adm.3: Extra cellas suas nullatenus cum parva cuculla incedant Monachi; Conversi vero, quando laborant, parvam saltem cucullam semper gerere debent.

=====

CURRUS AUTOMOBILES:

126.- 1947. Adm.5: Procuratores qui curribus automobilibus utuntur, in quantum fieri potest curare debent, ut ab alio currus moderetur, vel si tamen, urgente necessitate et cum permissu quidem Prioris, vehiculum ipsi regere debent, nunquam sine comitatu alicujus famuli gravis et honesti iter facere praesumant.

=====

DEDICATIO:

127.- 1884. Adm.1: Nullo modo celebrari potest Dedicatiois Solemnitas quando ipsa ecclesia non fuit consecrata, etiamsi consecratum fuisset altare.

=====

DENOMINATIONES:

1°: Denominationes Monachorum.

2°: Denominationes Monialium.

1°: DENOMINATIONES Monachorum:

128.- 1417: Cum in aliquibus Domibus nonnulli contra formam Statuti Monachos nominent Fratres, ordinamus ut Statutum super hoc servetur, videlicet quod Monachi vocentur Domni, Clerici vero Redditi et Conversi vocentur Fratres. Insuper ordinamus quod quaelibet persona Ordinis nominetur nomine proprio, et qui voluerint cognomen exprimere, proprium non omittant: alias qui contra fecerit, accipiat veniam ubicumque fuerit pro qualibet vice.

129.- 1634: Servetur simplicitas Ordinis in inscriptione litterarum privatarum juxta Statutum, nec apponantur amplius tot tituli inanes, ita ut deinceps Reverendo Patri sub nomine Reverendi, Visitoribus Venerandi, et caeteris omnibus aequaliter Venerabilis duntaxat, scribatur, addendo ubique: in Christo.

I. DENOMINATIONES [129]

[130] DENOMINATIONES

130.- 1859. Adm.4: Juxta usum antiquitus in Ordine servatum, omnes personae Ordinis, Reverendo Patre excepto, post suum nomen Religionis, addere debent, in epistolis et in quolibet tractatu, nomen familiae.

2º: DENOMINATIONES Monialium:

131.- 1332: Prohibemus de caetero ut Moniales vocent se Dominas ad invicem, sed Sorores, nec Priores sibi ad invicem scribendo scribant Reverendo, sed Venerabili vel Dilecto.

132.- 1494: Et injungimus Monialibus Domus de Poletens quod vocent se Sorores, non Dominas, prout Statuta volunt. (Pr. Burgundiae).

133.- 1648: Priorissae et Subpriorissae in Domibus Monialium nostrarum a personis Ordinis juxta Statutum non vocentur Dominae, sed Matres, caeterae vero omnes Sorores, idque strictissime in posterum servetur.

DIETA:

134.- 1879. Adm.8: Per dietam, de qua pluries agitur in Statutis, intelligitur distantia a loco in locum, decem circiter leucarum.

DIFFINITORES CAPITULI GENERALIS:

135.- 1884. Adm.6: Declaramus quod per Monachos Cartusiae, qui, juxta n.17 et 18, Cap.XXII, Iae P. Statutorum nostrorum, nominari possunt Electores Diffinitorum et Diffinitores eligi, soli designantur Professi Domus, non vero Hospites.

136.- 1938. Ord. 2: Peracta Diffinitorum electione, promulgentur deinceps nomina eorum in sessione solenni, non amplius secundum numerum votorum quae quisque obtinuit, sed secundum ordinem dignitatis et praecedentiae cujusque electi in Ordine.

DIONYSIUS CARTUSIANUS:

137.- 1530: In Domo Coloniae: Et quamvis ultro currentem urgere non debeamus, hortamur tamen D. Fredericum, ejusdem Domus Professum et Sacristam ut in transcribendis et castigandis Venerabilis Patris Dionysii Ryckel, nostri Ordinis Cartusiensis,

operibus, coeptum laborem indefessus, ad Dei et nostrae Religionis decorem et animarum salutem continuet ut optimis praelis eadem opera publicae utilitati serviant. (Pr. Rheni).

138.- 1897. Adm. 6: Neminem Venerabilium Ordinis nostri Patrum latet novam, ad Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem et Ordinis laudem, omnium Dionysii Cartusiani operum editionem prodire. Prodit autem iubente Reverendo Patre nostro Domino Michaelae, cui de hac re tanti momenti maximas grates agimus; prodit etiam insudantibus quibusdam e nostris, indefesso cum zelo, quos, totius Ordinis nomine prorsus approbantes et ex animo laudantes, Deo singulariter commendamus. Hac freti occasione omnes adprecamur ut diligentiori studio diversos Ordinis nostri auctores, praesertim Scripturae Sacrae ac maxime Psalmorum interpretes, pertractent.

DONATI: (Vide etiam: 1253-1290)

139.- 1882. Adm. 8: Juxta declarationem Capituli Generalis anni 1644, Donati non debent ab Ordine expelli sine licentia Capituli Generalis aut Reverendi Patris. (Vide n. 1284).

140. 1892. Adm. 12: Etsi ab anno 1636 non recipiantur Conversi ad habitum, nisi prius probati fuerint per quinquennium, post factam Donationem, sub habitu Donatorum, errarent qui Donatorum statum pro statu probationis tantum haberent, pro via per quam necessario tenditur ad statum Conversorum, ita ut deficeret in itinere qui Conversus non efficeretur. Contra falsam hanc opinionem testantur Annales nostri et Statuta nostra. In domo Dei mansiones multae sunt. Apud nos sunt Monachi, Conversi; sunt et Donati, qui seipsos in obsequium Ordinis offerunt et propriam subditorum constituunt speciem. Nullus igitur illorum aestimet sibi injuriam fieri si ut superius ascendat non invitetur; in mentem potius habeat unusquisque viros istos qui olim atque etiam diebus nostris, licet requisitis praediti dotibus, in humiliori statu Donatorum vivere et mori maluerunt, et qui jam, ut sperandum est, inter Sancti Brunonis filios annumerati, coelesti fruuntur gaudio.

141.- 1896. Adm. 6: Uniformitatis causa ubique servetur usus Cartusiae, vi cuius Donati extra Domum procedentes non utuntur veste alba, nec cappa atque capello.

142.- 1906. Ord. 3: Quando e communi consensu solvitur Donatio nis contractus, subscribant ambae partes (Prior scilicet nomine Conventus et subditus) instrumentum quoddam istius

rescissionis fidem faciens. In casu etiam quo Donatus quidam propria voluntate recedit, similem scripturam obsignet, Priori tradendam.

43.- 1930. Ord. 3: Novitii Donati possunt semper, juxta Adm. 9^{am} anni 1875, etiam ante servitium militare ad Donationem admitti.

44.- 1947. Adm. 7: Donati, quotiescumque e Domo, quavis de causa, egredi debent, habitum castanei coloris cum caputio sed sine cappa induant, juxta n. 5, Cap. XXI, IIae Partis Stat.

45.- 1949. Ord. 5: Ad vocationem melius probandam, juxta mentem Juris Canonici et de licentia Sanctae Sedis, volumus ut Fratres nostri Laici, priusquam ad Donationem perpetuam admitti possint, Donationem temporariam faciant ad triennium, quod tempus Prior, de consensu Visitorum, poterit prorogare, non tamen ultra biennium. In admissione ad istam Donationem temporariam, suffragium Conventus erit deliberativum. - Ordinationem istam etiam de Sororibus intelligi volumus. Insuper quod de deliberatione et votatione a Capitulo Generali anni 1875 ordinatum est, de dicta Donatione temporaria valere statuimus. (Vide n. 673).

EFFIGIES:

46.- 1883. Ord. 3: Nulla persona Ordinis, solo Reverendo Patre juxta consuetudinem excepto, sui ipsius effigiem quocumque modo confici permittat.

ELECTIO PRIORIS: (Vide etiam: 1292-1293)

47.- 1740: Declaratio PP. Diffinitorum, in quibus casibus Conventuales habeant jus eligendi:

(Praesens Declaratio reperitur in responsione PP. Diffinitorum ad Conventuales Domus in Aypach. (Pr. Alemaniae Infer.))

Ex tenore expresso Statutorum nostrorum liquido evincitur in tribus tantum casibus Conventuales habere jus electionis; nempe, cum Prior moritur, cum Visitatores aut Commissarii, de expressa licentia Reverendi Patris, admittunt resignationem Priorum, et cum absolvitur Prior in actu Visitationis. Citra hos tres casus, solus Reverendus Pater super annum aut Capitulum Generale habent jus instituendi Priores; unde qui ab aliis instituuntur aut eliguntur, sunt vere intrusi sine auctoritate et jurisdictione, sive spirituali,

sive temporali, ac consequenter omnia quae agunt in prae-
tione sunt nulla, de jure irrita et irritanda.

148.- 1781: Declaratio pro Domibus Galliae:

Cum aliquoties mota fuerit questio circa potestatem Ca-
pituli Generalis de instituendis Prioribus, ita ut quaedam
Domus ex Provinciis Gallicanis institutos a dicto Capitulo
Generali Priores reprobare minime dubitaverunt, idque nonni-
si prava Statutorum interpretatione, partim Sanctae Sedis
decisionum ignorantia evenire potuerit, ne ullus deinceps
supersit ea de re ambigendi locus, auctoritate Sanctae Se-
dis fulti, declaramus dimissionem ad formam Statutorum de
qua in Ia P. St., Cap. II, n. 1, agitur, nihil aliud esse
quam misericordiam quae super annum, propter senium, vel
infirmiorem fit Priori per Commissarios a Reverendo Patre,
ad id specialiter deputatos, uti patet ex n. 36, Cap. III,
Iae P. St.; quae quidem dimissio, pie data et acceptata, et
non aliter, dat Domibus Professis sufficienter repletis jus
eligendi, sicut cum contigerit Priorem obire, vel absolvi
a Prioratu in actu Visitationis. Citra hos tres casus, ad
Capitulum Generale vel ad Reverendum Patrem super annum per-
tinet Priorum institutio. Ut igitur tollatur penitus omnis
ignorantiae excusatio, mandamus Provincialium Galliae Visita-
toribus, ut in singulis Provincialium suarum Domibus, notum
fieri curent latum anno 1701 a Sacra Congregatione Decretum
in simili causa Conventualium Domus de Paulari qui tunc tem-
poris ad Sacratam Sedem recursum habuerunt pro infirmanda
facta in hac Domo a Capitulo Generali Prioris institutione.

Sequitur DECRETUM Sacrae Congregationis Regularium in
causa Patrum Cartusianorum vertente inter Generalem Ordinis
ex una et Patres Cartusiae de Paulari Hispaniarum partibus
ex altera, de et super electione et destitutione Priorum
Cartusianorum et praecipue Domus de Paulari.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Illustrissimorum
Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Re-
gularium praeposita, pluries partibus auditis, referente
Eminentissimo Petruccio, censuit et declaravit, Capitulum
Generale habere facultatem instituendi et destituendi Prio-
res Domus Ordinis et etiam Domus de Paulari, et eandem fa-
cultatem competere Priori Generali super annum in casibus
a Statuto expressis et ad formam Statutorum, ipsamque cau-
sam non amplius esse proponendam: Romae, 3 Junii 1701.

Denuo instantibus Patribus Cartusiae de Paulari, ite-
rum audiri eisque concedi compulsoriam, Eminentissimi Patres,
Patribus iterum auditis, censuerunt et decreverunt non esse
locum petitaе compulsoriae, et persistendum in decisio sub
praedicta die 3a Junii ipsosque Patres omnino acquiescere
debere. 17 Junii 1701.

[149] EVAGATIONES

EVAGATIONES: (Vide etiam: 1337-1368)

149.- 1387: Ordinamus quod de caetero Priores non sint proni ad exeundum terminos Domus suae sine evidenti et legitima causa, sed negotia quae possunt per alios commode et fideliter expediri aliis expedienda committant, quia ex hoc Ordo noster vilescit.

150.- 1446: Refricantes sinceriter mentem antiquorum Patrum quorum memoria in aevum non delebitur, tam in Statutis nostris quam in Chartis diversis nostri Capituli Generalis expressam et zelo Ordinis elaboratam, super instabilitate nonnullorum Praesidentium et Procuratorum qui de facili et levibus de causis, Domos suas dimittunt, Curias Dominorum frequentant, nundinis fere omnibus seu foris more saecularium intersunt, litigiis voluntariis vacant et causis forensibus se immergunt, in Grangiis vel Cellariis suis moram nimiam trahunt, graves expensas ibidem faciunt et raro in Domibus suis resident, sed totum Vicariis suis dimittunt, iterato sentientes cum Augustino, ordinamus quod illa negotia quae per Conversum aut Donatum ac famulum et litteras fieri possunt et debent, dicti Praesidentes et Procuratores in propria persona non exercent, sed cum Monachis a quibus assumpti sunt plus solito remorentur, per regulares observantias in continuo convictu se eisdem conformant, et divina cum eis obsequia die noctuque frequentant; scientes quod primo quaerendo quae Dei et Ordinis sunt, caetera eis accommoda Divino munere adjiciuntur, tam ipsi quam Domus ipsorum conservabuntur et prospere augmentabuntur, et per contrarium, quod absit, ad nihilum deducuntur. Injungentes Patribus Visitoribus Provinciarum quatenus circa praemissa uti sunt ordinata, sinceriter invigilent, quod a praefatis personis diligenter observentur; alias transgressores taliter puniant, quod cedant omnibus in exemplum.

151.- 1473: Cum alias, videlicet anno Domini 1420, fuit ordinatum quod nulla persona Ordinis sit infesta suis Prioribus seu Visitoribus pro obtinenda licentia ad medicos seu ad alia loca extra terminos suarum Domorum eundi, alioquin esset in disciplina generali ad Ordinis voluntatem; et insuper anno Domini 1444 similiter fuit ordinatum ne Visitores tales licentias exeundi terminos Monachis concederent, intelleximus quod hujusmodi Ordinationes a nonnullis Visitoribus et Monachis minime fuisse observatas ex quo complures non ambigimus noxa fugae esse irretitos; eapropter declaramus ipsos Monachos juxta tenorem Statutorum Ordinis etiam per licentiam Visitorum terminos Domorum suarum inordinate exire non potuisse aut debuisse, et per consequens ipsos Monachos de fuga Ordini reconciliari debere, inhibentes quibuscumque Visitoribus ne

[151] EVAGATIONES

amodo in actibus Visitationum Monachis quoquo modo licentiam concedant exeundi terminos Domorum suarum pro parentibus, consanguineis, aut aliis quibuscumque personis, Ecclesiis, Monasteriis, aut aliis locis visitandis, etiam causa Indulgentiarum consequendarum, sed personae Ordinis in hoc Statutis Ordinis se habeant conformare omnimode.

- 152.- 1539: (Sequens dispositio erat singulis annis in Charta):
 --- Visitatoribus committimus auctoritatem Capituli Generalis usque ad sequens Capitulum Generale, in casibus in quibus dictum Capitulum expectare non possunt aut interim ad Reverendum Patrem Cartusiae commode consulere, excepto quod nullus praenominatorum in facto suae propriae personae aut suae Domus, sed suus Convisitator habeat auctoritatem, necnon criminosis valeant dispensare quod ad officia Ordinis possint promoveri; nec etiam Monachos cura cujusvis infirmitatis ad medicos valeant transmittere, nec de Domibus emittere, nisi in actu Visitationis et necessitate inevitabili urgente, de qua dicti Visitatores sint prius certificati per Priorem et Conventum. Volumus tamen quod, vigore et praetextu praedictae facultatis et auctoritatis, non possint ipsi Visitatores, etiam in actu Visitationis, dare licentiam Monachis visitandi parentes ex quacumque causa vel eundi ad Ordines ad loca remota, si tenentur in propria civitate aut alia viciniora loca, ut vitetur omnis inordinatus discursus, et ut Ordinis stabilitas in suo Ordine servetur.

EXERCITIA SPIRITUALIA:

- 153.- 1856. Ord.2: Admonitio facta in Capitulo Generali anni 1847
 --- de exercitiis spiritualibus circa diem Professionis instituendis, convertitur in Ordinationem, ita ut omnes Religiosi per octo dies, Conversi autem per tres saltem, istis exercitiis vacare teneantur. Ad aliud tamen tempus haec exercitia differri poterunt, ex causa a Priore approbata; et expresse commendamus tam Prioribus quam Visitatoribus ut de exacta hujusce Ordinationis observantia studiose invigilent.

EXHORTATIONES GENERALES:

- 154.- 1540: Quoniam e multis Nationibus in hunc ipsum locum nos-
 --- tri Capituli Generalis uno spiritu ideo congregati sumus ut animarum saluti pervigili cura incumbentes, reformationi nostrae studeamus, quandoquidem saecularis conversationis quam multos, circa reformandos mores, tam intentos intellexerimus,

[154] EXHORTATIONES GENERALES

animadvertentes, non sine gravi cordis dolore, miserabilem totius Ecclesiastici nitoris, diaboli invidia, collapsum, nec non quantum pristinus ille antiquorum Patrum nostrorum fervor tepuerit, vigor friguerit, commendabilisque vitae candor abscesserit, ut jam, proh dolor, nec Provinciis sibi creditis invigilent Visitatores, nec ovibus commissis internam animi refectionem sitientibus vigilanter praesint Priores, ad saecularia mundanave potius devoluti, Vicarii quoque maternorum uberum obliti, abjecta sollicitudinis claustralis cura, regularis observantiae Statutorumque nostrorum sanctiones negligi et pessum ire videntes, quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi. Sed nec Magistri Novitiorum qui sibi commissos, ad instar liquescentis cerae, in vera mortificatione, propria abdicatione et proficua exercitii spiritualis informatione effingere debuerant unde virtutum omnium forma scaturiat, partes suas agunt, dormitantibus etiam his quibus audiendarum confessionum injuncta est cura, nec pabulum salubris correptionis, admonitionis aut consolationis subministrantibus, unde plurimum sacer Ordo noster, dudum in culmine virtutum sedem fingens, ad intima delabatur exterminio vicina, ni, praeveniens Dei gratia, apponatur antidotum vulnere proficuum per Capitulum nostrum Generale.

Eapropter singulos quosque in Christi visceribus exhortamur ut suppresso prorsus omni torpore, pristinum praefati Ordinis nostri decorem resarcire studeant, Visitatores quidem evagationes Priorum et inordinationes Monachorum in suis Visitationibus ferventer reprehendant, quae a proposito nostro dissident amputantes. Prioresque tanquam signum ad sagittam effecti, in omnibus regularis observantiae exercitiis, piisque Divini Officii Conventibus sese exemplares praebeant, providentes prae caeteris ut vanis mundanisque operibus seclusis, credita eis congregatio spiritualibus alimentis nutriatur, tales quoque efformandi Novitiorum moribus et jaciendis regularium observantiarum fundamentis instituantque pristinas, morum mortificationem, propriam sui abnegationem et profundam vitae contemplationem pro parte collapsas iterum reviviscere faciant, qui nimirum inter lepram et lepram, pondus et pondus, judicare et lolium saecularis et perversae actionis a tritico messis spiritualis expurgare noverint. Tandem uniuscujusque in gradu suo praefatorum, videlicet Visitorum, Priorum ac praenominatorum conscientias onerantes, autoritate praefati nostri Capituli Generalis omnes monemus et hortamur in Domino quatenus sic invigilent ut coram extremo Judice puram de creditis sibi administrationibus rationem sibi a commissis proficuum reddere mereantur. Amen. Quod ut melius adimplere studeant, praemissa bis in anno Capitulantibus diebus quibus legitur Charta Visitorum legi volumus et mandamus in qualibet Domo Ordinis hinc ad sequens Capitulum Generale.

I. EXHORTATIONES GENERALES [155]

155.- 1541: Insequendo laudabilem zelum Patrum Diffinitorum Capituli Generalis anni praeteriti circa reformationem abusuum quorundam et instaurationem regularis observantiae et spiritualis vitae profectum, exhortationem per ipsos factam innovantes, exhortamur rursus in Domino omnes et singulos Patres Visitatores, Priores, Vicarios et eos quibus Novitorum cura mandata fuerit ut quilibet eorum respective circa sibi commissa diligenter et ferventer invigilare velit, pro Dei honore, nostri Sacri Ordinis felici incremento et subditorum omnium pace et salute.

156.- 1561: Pro directione Sacri Concilii Generalis [Tridentini] unusquisque sit sollicitus in suis orationibus piisque exercitiis orare Deum.....

Considerata hujus calamitosi temporis injuria monemus et hortamur in Domino omnes Priores Ordinis et eos qui curam animarum gerunt ut reddant se operarios inconfusibiles sectatores bonorum operum, et tanquam Dei Ministri sollicite ambulent in timore Dei, et eos qui commissi sunt eis custodiant, ne lupus rapax invadat et devoret gregem Dei, et ab eis requiratur sanguis ovium sibi commissarum, quoniam grave iudicium fiet eis qui praesunt, sed pascant eas verbo et exemplo et adhortentur frequentius perseverare in disciplina Domini et traditionibus Sanctae Ecclesiae, neque moveri huiusmodi procellis quibus, proh dolor! navicula Petri in hoc mari magno et spatioso agitatur, sed saepius levare puras manus ad Deum, ut post tempestatem, tranquillum faciat, et post fletum exultationem infundat. Exemplo etiam maxime studeant praeesse, et prius faciant quam doceant; nec audeant aliquid loqui, quod per eos non effecerit Christus. Studeant igitur in omni profectu virtutum subditos aedificare, et imitatores fieri Summi Pastoris Domini Nostri Jesu Christi qui dedit animam suam pro ovibus suis, et eas suo Sanguine redemit, quo faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Reliquas etiam personas Ordinis hortamur ut in novitate vitae ambulent, eo magis quo vident appropinquantem et instantem diem Domini, ut inveniantur parati reddere rationem de ea quae in eis est fide, nec circumferantur omnivento doctrinae, sed gratia stabiliant cor, et in omni obedientia et interiori mortificatione exhibeant se Deo hostiam sanctam, viventem, Deo placentem, quoniam bonorum laborum et operum bonus erit fructus. Cum igitur sola perseverantia coronari mereatur, super fundamentum illud quod est Christus Jesus supraaedificent lapides pretiosos, aurum et argentum omnium virtutum, et proficiant de die in diem: et non terreamur flatibus adversitatum et fluctuum malignorum quibus exercentur electi. Proinde viriliter agant, et ascensiones virtutum ponant in valle lacrymarum, ut videre Deum Deorum in Sion, et immarcessibilem gloriae coronam consequi mereantur.

I. EXHORTATIONES GENERALES [156]

157] EXHORTATIONES GENERALES

57.- 1566: Cum Summus Pontifex approbaverit et confirmaverit at-
 que mandaverit Christifidelibus observari Decreta et Constitu-
 tiones Sacri Concilii Tridentini, quibus, post Deum vere et
 perfecte obedire tenemur, hortamur igitur et praecipimus omni-
 bus et singulis personis Ordinis nostri ut dictis Decretis et
 Constitutionibus se accommodent et obtemperant, ac illa, quoad
 fieri poterit et quantum in eis est observent et executioni
 demandent, et ob id, tam Visitatores, Priores, officiales,
 quam aliae personae Ordinis studeant se absque alio mandato
 reformare et ad pristinum propositum et observantiam regula-
 rem vitam suam et mores reducere.

58.- Propterea licentias quascumque et spatia hactenus
 concessa Domibus et personis Ordinis et consuetudines quae
 adversantur integritati et simplicitati nostri propositi re-
 vocamus et revocatas aut saltem suspensas declaramus donec
 per Visitatores et Priores Capitulum Generale aut Reverendum
 Patrem Cartusiae informati fuerint.

59.- Hortamur praeterea Visitatores et Priores ut superfluos
 discursus et inordinatos evitantes se in exemplum stabili-
 tatis subditis exhibeant, nec licentiam amplius dent Conven-
 tualibus exeundi ad curiam ad adventum quorumcumque eccle-
 siasticorum, sive saecularium id petentium, nisi fuerint
 Episcopi aut Principes, quibus commode denegari non potest;
 magis autem studeant solitudini et silentio incumbere et
 omnes aedificare, quod etiam de Vicariis Monialium et Monia-
 libus ipsis intelligi volumus ut unusquisque per seipsum se
 reformare et restringere studeat.

60.- 1567: Insequentes Sanctissimi Domini nostri Papae mandatum
 et Sacri Concilii Tridentini Constitutionem et nostri Ordinis
 propositum et institutum, omnes et singulos Visitatores,
 Priores, officiales et personas Ordinis ex parte Dei et Or-
 dinis nostri hortamur, monemus, praecipimus et rogamus ut
 sincere et caste Summo Pontifici Vicario Dei, et Ordini obe-
 dire studeant et respective satisfacere.

Et in primis Visitatores Deum prae oculis habentes,
 absque personarum acceptione officium Visitationis exercent
 et exequantur juxta mentem Summi Pontificis et Sacri Conci-
 lii Tridentini et formam Statutorum et Ordinationum Capitu-
 li Generalis et seipsos in exemplum subditis exhibeant.

61.- Priores vero, Reverendum Patrem nostrum Cartusiae, qui
 nunquam exit terminos imitentur, in Monasteriis sibi credi-
 tis resideant. Patres, et Vicarii Matres, observantiae regu-
 laris in Divinis laudibus persolvendis et caeteris actibus
 conventualibus subditos praecedant, exemplum stabilitatis
 et normam religiosae conversationis praeteant, nec pro levi
 causa ad negotia extra Domos suas exeant, sed ea negotia
 permittant et faciant fieri per Procuratores, Conversos, Do-

natos aut saeculares, quae per eos commode exequi possunt, nec extra Domo suas pernocent sine scitu Vicarii et Procuratoris aut saltem alterius ipsorum, non obstantibus licentis quibuscumque tam per Chartam Capituli quam aliunde concessis. In suis Domibus ita residentes subditos sibi commissos visitent, exemplo et verbo ac opere atque virtute instruant, ad meliora provocent.

162.- De necessariis more Ordinis rationabiliter provideant, == superflua, non necessaria, et omnem speciem et fraudem vitii proprietatis et fraudis suspicionem ab eis auferant ad formam nostri propositi. Et quia experientia nos satis docuit tenacitatem quorundam Priorum dedisse occasionem proprietatis Monachis, praecipimus omnibus Visitoribus et districte injungimus ut ubi audierint hujusmodi querelas Monachorum, sollicito curent ne quicquam Capitulo Generali remittant aut Reverendo Patri nostro, se de necessariis Monachis provideri faciant juxta mentem Statuti et Ordinis, alioquin in futuro Capituli Generali gravius ab eis dictae negligentiae exigetur ratio. Quod ut leviori labore exequi valeant, habeant ipsi Priores claves omnium cellarum Monachorum et Conversorum, vel unam singularem clavem quae dictas cellas aperiat, prout dicti Priores viderint melius et commodius expedire; alias vero seras dictarum cellarum, licet hactenus toleratas, damnent, et auferendas fideliter et diligenter curent.

163.- Et quia non minor est ratio stabilitatis quam obedi- == tiae, cum pari solemnitate eodemque pectore et ore utrumque votum emittatur, Monachos et Conversos qui quasi suae Professionis et stabilitatis promissae oblivisci videntur et per singulos annos de Provincia in Provinciam, de Domo in Domum discurrere, per civitates et oppida transire, residere, atque seipsos ob id deridere, et seipsos et Ordinem scandalizare, graves personas saeculares et aures Summi Pontificis offendere non verentur, in perniciem sui salutaris profectus, hortamur, monemus, praecipimus, et in visceribus Jesu Christi obsecramus ut suum adventum ad religionem, propositum, et fervorem devotionis et votum stabilitatis emisum resument atque recogitent et de caetero corpore et spiritu se stabilire studeant, et juxta puritatem, simplicitatem et integritatem nostri propositi ambulare et proficere in via Domini satagant. Quibus declaramus Capitulum Generale, Reverendum Patrem Cartusiae, et Visitatores sive Convisitatores, seu Commissarios et Priores Ordinis nullam prorsus datus licentiam sive facultatem transmigrandi de Provincia in Provinciam, sive de Domo in Domum, absque urgente et inevitabili necessitate, de qua prius Capitulum, Reverendus Pater Cartusiae, et Visitatores in actu Visitationis erunt informandi et certiorandi antequam aliqua facultas sive licentia concedatur.

Poterunt tamen Visitatores pro conventuali persolutione Divini officii ubi deerunt personae, de aliis Domibus providere, ne Divinum officium intermittatur, omni fraude cessante, prout viderint expedire vel urgere, pro Dei et Ordinis honore, vel Reverendum Patrem Cartusiae informare, et in hoc conscientias et honorem ipsorum Visitorum et cujuslibet ipsorum oneramus. Quibus praecipimus et mandamus sub attestatione Divini Judicii et poena arbitranda ut mentem Summi Pontificis, Sacri Concilii Tridentini et nostri Ordinis super reformatione vitae et morum, et super restitutione ad puritatem pristinam nostri propositi in suis Domibus et Visitationibus publicent, denuncient et observari faciant et ut nihil praetermittant agere ex his quae ad Dei laudem, et salutarem profectum animarum facere possunt, et tam fideliter et sincere et mature in praemissis se habeant ut merito de iis Summus Pontifex informari et contentari valeat.

5.- Praeterea confirmantes quae superiori anno ordinata sunt, prohibemus Visitoribus, Prioribus ac caeteris officialibus, ne Monachis, Conversis et aliis personis Ordinis, qui propter suam importunitatem, levitatem sive curiositatem, et non propter obedientiam sive causam justam et rationabilem ad alias Domos sive Provincias transmittuntur, directe vel indirecte equitaturas ministrent aut ministrari permittant, nec pecunias pro viatico illis tradant, sed tantum famulis honestis, de quibus provideant, committant, caveant ne pro modicis fardellis pecunias etiam tribuant, sed ad formam Statuti Prioribus ad quos mittantur scribant, ut in humilitate discant stabilitatem, quam voverunt, servare.

6.- Spatiamenta Monachorum et Conversorum quae integritati Ordinis et salutari profectui animarum adversantur et impediunt, jam suspensa, revocent et annullent ut omnis suspicio et fraus ac fraudis suspicio tollantur. Caetera vero spatiamenta et recreationes quae conducunt et cooperantur salutari profectui animarum, quae non sunt suspensa, Visitatores declarent et limitent, ut ab omni levitate et suspicione cujusvis mali cessantibus serventur.

7.- In singulis Domibus per eos visitandis, legant, registrarum et observari faciant, praecipiant et mandent, prohibitiones et litteras Summi Pontificis ne mulieres ingrediantur Domus Ordinis. Et eadem ratione prohibeant Visitatores, et etiam prout nos prohibemus, ne religiosi colloquia mulierum habere permittantur, nisi tantum semel in anno, tantum cum matre et sororibus, in porta aut alio in loco ad hoc deputato per Priorem;

8.- et cum consilio Prioris et Vicarii deputent eos qui curam Novitiorum et directionem habere debeant.

I. EXHORTATIONES GENERALES [169]

169.- Visitatores in Domibus Monialium mandatum et prohibi-
--- tionem Summi Pontificis ne saeculares utriusque sexus eas-
dem Domos Monialium ingrediantur, Vicario, et Priorissae,
et Monialibus ipsam prohibitionem intiment ac notificent, ac
prohibeant ne ipsos saeculares suscipiant, vel ingredi per-
mittant sub poenis in dictis litteris contentis. Quas quidem
litteras prohibitorias Summi Pontificis et alteras super
clausura Monialium ibidem registrari faciant, et in manibus
Priorissae dent custodiendas, et de praemissis per eos exe-
quendis, et per easdem Moniales exequendis, ac de suis res-
ponsis, et de parata voluntate obediendi, ita scribant ut
eorum scripta et executio Summi Pontifici monstrari queat.

170.- Quoniam vero jam satis superque nobis perspicuum est
--- tot Statuta et Ordinationes Capituli Generalis, non sine
gravi jactura et periculo animarum suarum a multis Priori-
bus Ordinis contempta fuisse, praecipimus et districte in-
jungimus Visitoribus Provinciarum ut tam salubres Ordina-
tiones et Ordinis mandata in Visitationibus suis a Prio-
ribus observari efficaciter faciant, et quos culpabiles et
inobedientes invenerint, ita rigide puniant, ut Capitulum
Generale et Reverendus Pater noster cognoscant quam cordi
illis fuerit Sanctissimi Concilii Tridentini Summique Pon-
tificis et Ordinis jussiones et praecepta observari, aut
dictum Reverendum Patrem nostrum admoneant, ut futuro Capi-
tulo eos ita puniant ut caeteris transeat in exemplum.
Chartas etiam suarum Visitationum sine personarum acceptio-
ne ita annotent et declarent ut Capitulum Generale inobe-
dientes ab obedientibus discernere possit et eos graviter
punire. Et in hac parte dictarum Visitorum conscientiam
oneramus et coram Deo et Ordine nos ipsos exoneramus.

171.- 1791: Ex Directorio concesso a Reverendo Patre pro exuli-
--- bus, emigratis et deportatis: - Aequum et justum videtur
ut illorum paci ac tranquillitati provideatur, qui Christi
jugum alacri animo portabant, quosque de illo aliquid im-
minuere, sola cogit praesentium temporum calamitas.....
(Sequuntur aliquae dispositiones sive dispensationes circa
vestimentum, abstinentias, jejunia, officia defunctorum,
etc.....) Deinde:

4^o: Datur tibi licentia ut assignatum tibi pecuniae
subsidium et quidquid aliud quovis modo licite consequi
poteris, libere administrare valeas, et illud vel in pro-
prias necessitates vel in eleemosynas impendere erit in
tuo arbitrio; sed memor votorum quae distinxerunt labia
tua, habens alimenta et vestimenta quibus tegaris, his
contentus esto.

172.- His utens dispensationibus, ita mente et voluntate sis
--- affectus, ut si Deus annuat et feliciora succedant tempora,

I. EXHORTATIONES GENERALES [172]

ad pristinum statum redire et communem ac religiosam vitam. denique amplecti sis paratus: interim cave ne, commistus intergentes, discas opera eorum; sed memor arrepti propositi, et sciens te coram Deo semper Monachum existere, immaculatum ab hoc seculo te custodire satage, et talem intergentes habere conversationem stude, quae obmutescere faciat imprudentium hominum linguas quae de statu religioso detrahunt: et sic luceat lux tua coram hominibus, ut ex bonis operibus te considerantes, glorificent Deum qui in coelis est. Quod ut assequaris tibi opulentum de coelis apprecamur auxilium. Datum die 15a mensis aprilis 1791.

73.- 1832: Ex Epistola Reverendi Patris D. J. B. Mortaize:..... Insuper intimamus omnibus et singulis personis Ordinis quod Sanctissimus Dominus noster Gregorius Papa XVI feliciter regnans, paterno erga nostram Cartusiensem familiam studio affectus, non solum electionem nostram, sed et omnia a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis Ordini nostro hactenus concessa privilegia auctoritate Apostolica confirmare, suamque in omnibus protectionem et favorem pollicere dignatus est. Quibus certe beneficiis dignos nos praestare debemus, et assiduas ad Deum pro tam studioso ac benigno in nos Pontifice, preces fundendo, et regularis observantiae studium nova mentis alacritate, novo fervore amplectendo, quae retro sunt obliviscentes, et ad futura juxta Apostoli praeceptum nos extendentes, ac meliora semper charismata aemulantes, ut ad tandem bravium supernae vocationis in Christo Jesu apprehendere valeamus ad quod assequendum abundantem Sancti Spiritus gratiam omnibus in Christo Venerabilibus Patribus Prioribus, Rectoribus, et caeteris illorum curae commissis fratribus apprecamur. Datum Cartusiae, die 15a februarii anno Domini 1832.

74. 1887. Ord. 3: Summo cum gaudio Decretum Pontificium, sub die 29a decembris 1886, accepimus, quo jam indultus octodecim Cartusianis, simul et aliis martyribus pro catholica fide Romanique Pontificis primatu in Anglia interemptis, solemniter confirmatus est cultus. Ecce nunc apparet in gloria quasi perfecta Ordinis nostrae Domus quae, sicut sponsa ornata monilibus suis, ascendit in coelum, et de vivis ac expolitis lapidibus fundata est in montibus sanctis. Adest Prior, vir mirabilis in vita, in morte mirabilior, Beatus Joannes, cui assistunt duo alii Priores: Beatus Augustinus et Beatus Robertus; passionum ipsius participes, participes et coronae facti sunt. Adest Vicarius: Beatus Humphredus qui, mortuo Priore, vices ejus agens, simili supplicio occubuit, simili triumpho exaltatus est. Adest Procurator: Beatus Guillelmus; qui quasi ad epulas

I. EXHORTATIONES GENERALES [175]

ivit ad mortem. Adsunt claustrales: sacerdotes scilicet sex, diaconus unus, qui de cellis educti ad carcerem, ad intercessionem, mansiones invenerunt in coelo. Adsunt et Conversi: nempe sex, qui in simplicitate sua mori maluerunt, quam mentiri. Sic qui militant in Domibus terrenis, Sancti Patris nostri Brunonis filii, cujuscumque sint conditionis et gradus, omnes habent quorum intercessione adjuventur patronos, omnes habent quibus provocentur exempla. Itaque singulari accensi fiducia et spiritus fervore, Festum BB. Joannis, Augustini, Roberti et Sociorum quotannis celebrabimus, &c....

175.- 1902. Adm.1: Quoniam rursus venerunt super Domos nostras Galliae dies tribulationis et angustiae, ita ut, praeter solam Cartusiam, factae sint habitationes nostrae desertae et haereditas nostra fere versa sit ad alienos, Diffinitoribus Capituli Generalis incubuit onus tum praesentibus gentis nostrae malis succurrendi, tum futuris occurrendi. Quod quidem, auxiliante Deo, pro viribus fecisse speramus, varia pro variis quae accidere possunt decernentes. Haec autem Reverendus Pater, pro sua prudentia et consilio, et prout exegerint rerum vicissitudines, executioni mandabit.
- Omnes interea enixe hortamur ut, in hoc tanto Ordinis discrimine, vera et prae caeteris efficacia adhibeant arma, orationis scilicet et mortificationis, quatenus, superno auxilio adhiuti, ad propria redire mereamur sub tutela illius ad quam clamamus exules filii Evae, et quae semper fuit salus nostra in tempore tribulationis.

176.- 1904. Adm.1: Omnes jam legerunt Litteras Encyclicas: "Ad diem illum" (2 Febr. 1904), quibus Summus Pontifex Pius X universo orbi solemne indicit Jubilaeum pro quinquagesimo anno a definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis B.V. Mariae. Pergratum certe nobis omnibus fuit in his Litteris verba invenire Patris nostri Dionysii a Pontifice citata tanquam testimonium christiani sensus circa singulare Beatae Virginis privilegium. Quae quidem verba Summus Pontifex propria manu simul cum Apostolica Benedictione subscripsit effigiei suae quam nuper misit Reverendo Patri in signum paternae benevolentiae erga ipsum et totum Ordinem. Ibi enim haec legimus: "In hoc Jubilaeo auspice Virgine Immaculata concesso, Apostolicam Benedictionem peramanter imperitimus dilecto Patri Generali et omnibus pariter dilectis sodalibus Ordinis Cartusiensis fratribus piissimi ac doctissimi Dionysii, qui scripsit: "Horremus mulierem quae caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam, atque diaboli filiam fuisse matrem Domini fateri." - Ex Aedibus Vaticanis die 5a mensis Aprilis anni 1904. - Pius Papa X."

I. EXHORTATIONES GENERALES [176]

177] EXHORTATIONES GENERALES

His verbis hortari nos videtur Pontifex, ut nostri Dionysii vestigia insequentes, singulari fide, singularique devotione erga ineffabile Immaculatae Conceptionis mysterium caeteros antecellere conemur. Quapropter omnes Ordinis alumnos in Domino adprecamur ut, gratiam quae eis offertur non negligentes, uberiores hujus Jubilaei fructus consequi sagant.

77.- Et quia aliqui nostrum, ex parte Ordinis, operam praesant ad Congressum Marialem, occasione Jubilaei, Romae coadunandum, nobis omnino placet eorum labores et studia adprobare, dummodo in omnibus et ab omnibus vitetur quidquid paci et simplicitati propositi nostri adversaretur.....

78.- 1908. Ord.4: Litteras Encyclicas: "Pascendi Dominici gregis...." de modernistarum doctrinis grato et obsequenti animo recepimus; cuncta quae Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X damnavit, damnamus et nos, etiam nomine totius Ordinis nostri; cuncta quae praecepit observari volumus.

Invigilent Priores Superioresque caeteri ut familia nostra religiosa aliena maneat ab his erroribus, a systemate quod pro omnium haereseon collectu habendum est, praeservata a veneno quod mentes conturbaret simul et extingueret pietatem. Invigilent ne Postulantes quicumque secum pestem afferant quae inficeret oves gregis. Juxta Pontificis monita, vitemus omnes curiositatem eorum qui plus sapere nituntur quam oportet sapere, superbiam quoque, memores abnegationis christiani praecepti. - E fontibus aquae vivae hauriamus scientiam quae non inflat, ac retinentes fidem antiquam et traditiones Patrum, moriamur in simplicitate nostra.

79.- 1908. Adm.4: Nonnullas praecedentium Capitulorum Generalium Admonitiones ad memoriam revocamus:

Circa mutationem Domorum quae raro petenda est, raro concedenda aut imponenda, tum quia non decet Monachum tantipendere aeris aut ciborum qualitatem, calorem et frigus aliasque hujusmodi varietates, tum quia omnes operam dare oportet ut servetur stabilitas; sed reprobanda esset eorum agendi ratio qui, recepta Charta Capituli Generalis aut Reverendi Patris litteris ad aliam Domum quasi recusarent se conferre, aut in verba improprii et inobedientiae erumperent; -

180.- item circa recursus ad medicos extra Domum, circa curas foris habendas et chirurgicas operationes, quae, nisi in casu verae necessitatis et servatis servandis, omnia vitanda sunt; -

181.- item circa lectionem diariorum et foliorum que de rebus minus seriis tractant. Sedulo autem simul et discrete vacent Monachi nostri studiis nobis convenientibus, non quidem